Edit. I pag.

DANIEL.

CAPVT I

De ipsius ortu & parentibus.

HAnc in lucem editus Daniel anno Domini MDXXIII, die XXII Martii. Patrem habuit *Fridericum* e nobili *Brendeliorum* stirpe: matrem *Margaretam* e paris nobilitatis domo *Riedeseliana.* Sed illi agnomen ab *Homburg*, huic *von Bellersheim.* Vterque (quod lubricissimo, lapsantiumque plenissimo sæculo isto, & loco, laudis non paruæ est) auitam constanter fidem retinuit: in eaque filios, filiasque omnes erudiit. *Fridericum* vero abstulit mors citius: vitam egit vidua *Margareta* longiorem, ad annum Domini MDLXIII. Iis elegans, ac pium e candido marmore, in ædis metropolitanæ sacello, vbi & ipse tandem etiam sepultus, monumentum erexit Archiepiscopus filius *. In eo cernitur cruci affixi Domini sacra imago, supra quam loquitur DEVS; *Propter scelus populi mei percussi eum*, Isaiæ cap. LIII; ad latera vtrimque, ipsi cum natis omnibus parentes, qui dicunt: *Ipse autem vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & eius liuore sanati sumus*, Isaiæ LIII. Et: *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit DEVS in eo iniquitates omnium nostrum*, Isaiæ LIII. Infra crucem: *Bonus pastor ponit animam pro ouibus suis*, Ioan. X. Summo autem loco est vtilissimum illud ad viuorum quemlibet monitum: *Hodie mihi, cras tibi.* Infimo tandem loco, matris, de cuius morte iterum aliquid postea, epitaphium hoc:

v. 8 v. 5 v. 6 v. 11

914

Nobilibus prognata atauis Margretha recumbit,
Quæ fuit æterno viuere digna die.
Cui patriam partu Bellersheim clara dedisti,
Et Riedeselium nobile stemma, genus.
Brendelia de stirpe satus, Fridericus ab Homburg,
Coniugii & prolis fecit amore suam.
Illa tamen felix natis, & Præsule felix,
Orba viro, factis inclita, morte iacet.
SI tIbI neC VItæ, neC fatI teMpora Constant,
CoLLIge, per LongIs arte notata notIs.
Luces adde decem, Iuni septemque Calendis,
Vtque animus viuat, sæpe precare, DEO.

915

* Quod Daniel parentibus monumentum statuit, est in sacello; quod ceterorum respectu vulgo sacellum *B. M. V.* vocatur. Vtrum autem e candido marmore sit, quod auctor dicit, alii diiudicent. Quos alioquin annos, proauosque habuerit, sequens explicat schema, quod ipse, in Canonicorum cooptandus numerum, anno MDXLVIII exhibuit.

* * *

CAPVT

ad pag. 863

* * *

DANIEL
Brendel *ab* Homburg.
probans an. 1548.

Fridericus Brendel *ab* Homburg, *Vicedominus Aſchaffenburgenſis.*

Margareta Riedeſel *de* Bellersheim.

Fridericus Brendel *ab* Homburg.

Lucia Kalbin *de* Rheinheim.

Fridericus Brendel *ab* Homburg.

Ioannes Brendel *ab* Homburg. *Miles.*

Ioannes Brendel *ab* Homburg.

Eva *de* Werberg.

Eliſabetha *de* Levvenſtein.

Ioannes *de* Lôwenſtein.

Anna *de* Oberſtein.

Kunigunda Krais *de* Lindenfels.

Bernhardus Krais *de* Lindenfels.

N. Krais *de* Lindenfels.

N. *de* Fechenbach.

Gutta Wolf *de* Sponheim.

Ioannes Wolf *de* Sponheim.

Apollonia Flachin *de* Swarzenberg.

Reinhartus Kalb *de* Rheinheim.

Martinus Kalb *de* Rheinheim.

Adamus Kalb *de* Rheinheim.

Margareta *de* Dalvvich.

Engeltrudis *de* Laſtenheim.

Diethardus *de* Laſtenheim.

Anna *de* Luſtatt.

Anna *de* Venningen.

Diethardus *de* Venningen.

Eberhardus *de* Venningen.

Eliſabetha *de* Velberg.

Eliſabetha Horneck *de* Hornberg.

Arnoldus Horneck *de* Hornberg.

Anna *ab* Embs.

Henricus Riedeſel *de* Bellersheim.

Eberhardus Riedeſel *de* Bellersheim.

Eberhardus Riedeſel *de* Bellersheim.

Ioannes Riedeſel *de* Bellersheim.

Margareta *de* Carben.

Anna *de* Trohe.

Ioannes *de* Trohe.

Margareta *de* None.

Margareta Klem *de* Hohenburg.

Ioannes Klem *de* Hohenburg.

Ioannes Klem *de* Hohenburg.

Eva Weiſſin *de* Feuerbach.

Anna *de* Bellersheim.

Henricus *de* Bellersheim.

Margareta *de* Rheinberg.

Margareta *de* Carben.

Hermannus *de* Carben.

Carolus *de* Carben.

Hermannus *de* Carben.

Anna Groſchlagin *de* Diepurg.

Eliſabetha *de* Schônborn

Philippus *de* Schônborn.

Margareta Schürtz *de* Holzhauſen.

Margareta Rüd *de* Collenberg.

Henricus Rüd *de* Collenberg.

Eberhardus Rüd *de* Collenberg.

Margareta Kuchenmeiſterin *de* Gamberg.

Vrſula Voit *de* Rieneck.

Georg. Chriſtoph. Voit *de* Rieneck.

Maria Anna *ab* Erthal.

ad pag. 863

ɔnes Brendel
ɔ Homburg.

de Werberg.

ɔnes *de* Lôwenstein.

ɔa *de* Oberstein.

Krais *de* Lindenfels.

de Fechenbach.

ɔnes Wolf *de* Sponheim.

ɔllonia Flachin *de* Swarzenberg.

ɔmus Kalb *de* Rheinheim.

rgareta *de* Dalvvich.

thardus *de* Lastenheim.

ɔa *de* Lustatt.

rhardus *de* Venningen.

ſabetha *de* Velberg.

ɔoldus Horneck *de* Hornberg.

ɔa *ab* Embs.

ɔnnes Riedesel *de* Bellersheim.

rgareta *de* Carben.

ɔnnes *de* Trohe.

rgareta *de* None.

ɔnnes Klem *de* Hohenburg.

ɔ Weissin *de* Feuerbach.

ɔnricus *de* Bellersheim.

ɔrgareta *de* Rheinberg.

rmannus *de* Carben.

ɔa Groschlagin *de* Diepurg.

ilippus *de* Schônborn.

argareta Schütz *de* Holzhausen.

erhardus Rüd *de* Collenberg.

ɔrgareta Kuchenmeisterin
de Gamberg.

ɔorg. Christoph. Voit *de* Rieneck.

ɔaria Anna *ab* Erthal.

CAPVT II

De Fratribus.

CAPVT III

De Sororibus.

Edit. 1 pag.

CAPVT II

De Fratribus.

FVere Danieli fratres tres, e quibus præcerpsit vnum immatura mors: duo reliqui, *Philippus* & *Eberhardus* Brendelii, magna cum auctoritate Moguntinam gubernarunt vrbem, ambo *Vicedomini* ordine. Pietatis ac sui in Catholica fide zeli dedit non raro luculentum vterque specimen, præsertim cum ob magnæ nobilium partis contagionem crebra daretur occasio. Eorum certe alter, cum anno Domini MDLXIII morbo admodum graui & repentino hæretica in vrbe correptus esset, hoc vnum aiebat se vehementer dolere, quod ibi, vnde auita exularet pietas, pietatisque instrumenta, & symbola, moriendum videretur. Ne ergo, quod minime vellet, sacrosanctis Eucharistiæ sacramentis orbaretur, in Catholicum sese oppidum curru deuehi præcepit, statimque certos Moguntiam accurrere veredarios, qui Reuerendissimo fratri de inualetudine nuntiarent, rogarentque non tam corporis, quam animi Medicum, e Societate IESV Sacerdotem, quam citissime mitteret. Misit iste pro sua erga fratrem pietate ilico, & quem ille petebat Sacerdotem, & suum germanum fratrem alterum, intempestæ noctis silentio. Ille vero Sacerdotis illius præsentia, consolatione, ceteraque spirituali opera, dum confitenti aures, confesso sacrosanctum Domini corpus præbuit, adeo recreatus & corroboratus est, vt se iam vitæ huius illecebras non amare, sed aspernari, mortemque non tam pertimescere, quam expetere diceret. Quæ DEI tamen fuit bonitas, pristinam ille sanitatem recuperauit, deincepsque, quoad vixit, & religionem coluit, & in So-
916 cietate IESV amanda vni tantum fratri suo Reuerendissimo cedere voluit Archiepiscopo. In eiusdem Societatis templo frequens erat *Eberhardus*, & cum ex partu anno Domini MDLXXXI eius vxor altera *Catharina Hattsteinia*, & ante ipsam nata, baptismoque sacro eluta proles animam efflassent, vt eo in templo humaretur vtraque, per eundem Reuerendissimum fratrem suum effecit. Et illam quidem in hæresi educatam duxerat, sed ex eadem, magno postea studio & hortatu, eduxerat, sicuti & tertiam *Schönebergicam*. cuius etiam Catholicus filius ad S. Cæsareæ Maiestatis aulam ab Generoso, Hungaricaque militia inclito, Catholico Domino *Ioanne Richardo* (Reinhardo) *Schönebergico* non ita pridem ductus est. Magna sane coniugum talium, & quam imitentur alii, digna laus, dum vnus ad veram ac salutarem deducere fidem conatur alteram, & hæc in errore, quem olim hauserat imprudens, pertinaciam nullam adhibuit. *Mulier*, inquit Apostolus I Timoth. II, *in silentio discat cum omni subiectione.* v. 11

CAPVT III

De Sororibus.

ERant eidem Reuerendissimo Danieli sorores quatuor *, e quibus adhuc superest hoc ipso anno MDCIII vna, Domina *Anna* Brendelia, vidua sane grauis, & modesta. Nupserat ea nobili viro D. *Philippo* a *Biken*, qui aulæ Moguntinæ Marschalcus summus. Atque is quidem, pro temporum regionumque istarum ratione, rectam initio fidem non sequebatur: sed vbi eius integritatem, antiquitatem, puritatem a melioribus magistris audiuit, errorum nouitatem, fallaciam, & inanitatem conspexit, prius nihil habuit, quam vt Catholicum se palam, & magno cum animo, licet ægre Nobilium ferrent, & morari etiam ac impedire conarentur quidam, profiteretur. adeo vt Societatis IESV Patres valde diligeret, apud se libenter haberet, ad eorum quandoque scholas, honoris caussa, veniret, pædagogos ab iis domesticos peteret, filios iis suos omnes instituendos committeret. Fuerunt ii tres, *Ioannes Adamus*, *Iodocus*, & *Hartmannus*, bonis omnes litteris ac moribus exculti. sed primus maxime. qui
917 anno Domini MDLXXIV in metropolitanæ huius ecclesiæ Canonicum admissus est,

est, postea vero factus Scholasticus, tandemque Archiepiscopus, vt suo infra loco patebit. Cui satis congruebat Virgilianum illud : *Aeneid.* 12.

Et pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Fuerant vero ex eadem *Bikiorum* familia in eodem metropolitanorum Canonicorum Collegio alii iam complures, vt anno MDXLIX D. *Adam Theodericus;* anno MDXLVI D. *Wilhelmus;* anno MDXIX D. *Wilhelmus* alter ; an. MDV *Wilhelmus* alius ; sed omnium maxime, anno MCCCCLXVII *Wolfgangus* de *Biken*, quem illaudatum praeterire supra in *Bertholdo* neque potui, neque debui.

* Quatuor hæ sorores, de quibus auctor ab initio, fuere *Margaretha*, *Lucia*, *Anna*, & *Barbara*. quarum prima primum in manum conuenit *Valentino* de *Hutten*; dein, eo fatis functo, anno MDLXIX *Hartmudo* de *Cronberg*., mortua an. MDLXXXVIII, die IV Maii. Secunda, cum annum ætatis ageret XII, morte intercepta est. Tertia anno MDLI nupsit *Philippo* de *Bicken*, in Libitinæ censum relata anno MDCV, die XXIV Decembr. Quarta *Henrico* de *Selbolt*, Præfecto tum Olmensi & Algesheimensi, vinculo coniugii sociata, vita excessit die III Maii anno MDLXX.

CAPVT IV

De Danielis, ante Archiepiscopatum, vita.

LItterarum studiis a parentibus traditus est Daniel : in cathedrali vero Spirensi & metropolitana ecclesia Canonicatu donatus. Cum vero ætate floreret, magnum statim magnæ prudentiæ, morumque suauitatis & maturitatis apud omnes lumen ostendit. adeo, vt pæne, quam ferret in aliis ætas, citius ad insignem Scholastici dignitatem a Spirensibus collegis eucheretur. Quo in munere ita se gessit, vt sui approbationem publice moueret omnibus, priuatim in pietatis & continentiæ studia incumberet sedulo, ignauiæ vero ac desidiæ, quæ vitiorum neque paucorum, neque leuium nutricula, bellum indiceret. Habuit, quoad post Danielem vixit, Reuerendissimus & Illustrissimus Wormatiensis Episcopus libellum quendam in deliciis, quem sua sibi manu conscripserat Daniel iam Scholasticus. In eo autem libello sunt matutinæ, vespertinæ, sacrificales, aliæque id genus preces, pia Christiani hominis exercitamenta, non obscura Danielicæ, in iuuenili illa ætate ac viuendi, prout vellet, libertate, pietatis vestigia. Fuit iisdem annis varias ad legationes, arduas & graues, adhibitus, quarum vltima in annum Domini MDLV incidit. Tunc enim ad Augustana S. R. I. Comitia, quorum initium nomine fratris sui Caroli V fecerat Ferdinandus Nonis Februariis, missus est. Eo autem Principum & legatorum 918
multorum cum esset aduentus tardior, fuit comperendinata omnis in Nonas Martias actio. Visum vero tum pæne omnibus, vt de sacrosanctæ religionis restauranda, fieri si posset, consensione ageretur : post de negotiis aliis. Egit, quod eo loco, eaque in legatione agendum sibi videbat Daniel, admodum sedulo, egissetque multo amplius, nisi vt plura & maiora melius ac firmius olim ageret, reuocatus inde fuisset. Nam ecce, de repente, præter omnium exspectationem, mortuus nuntiatur Reuerendissimus & Illustrissimus Sebastianus Moguntinus Archiepiscopus : & paullo post ad Archiepiscopi noui electionem ipsis Capituli litteris, pro more, ille vocatur, die huic tantæ rei certo præfinito. Dat se itineri Daniel, & cum Eslingam transiret, non defuerunt e viris, sapientia, doctrina, rerumque vsu præstantibus (nam ob grassantem Spiræ luem illuc sese contulerat Camera) qui honorem, ad quem alteri dandum properabat, ipsi prædicerent, plures augurarentur taciti, optarent vero quamplurimi, prout mihi, qui tunc adfuit, retulit vir apud Moguntinos rebus non paucis clarus.

Enimuero *Daniel*, cum Sebastianus die XVIII Martii vltimum spiritum poneret, Eltvillæ præsens fuit. Ne dubites, apponam verba, quæ auctor *narrationis de obitu Sebastiani* ex officio iussuque publico in litteras missæ, nec dum editæ, habet : *Demnach aber die Räthe nicht in solcher anzahl zu Eltvil beisammen gewesen, dass man ihrer etlich hette entrathen, vnd Herrn* Ioann Focken, *Dhumscholastern, zuordnen mögen, haben sich seine Ehrvv. Gnaden sambt Herrn* Daniel Brendel *von* Homburg, *Dhumherrn, den folgenden Donnerstag gein Maintz, zu einem Ehrvvirdigen Dhomcapitul verfügt, vnd solchen traurigen fall angezeigt ; vnd Herr* Philipp *von* Trohe, *Dhumherr, zu Eltvil zu bevvahrung des Schlosses neben den Räthen verblieben.*

CAPVT

Edit. I pag.

CAPVT V

De Danielis in Archiepiſcopum electione.

ARchiepiſcopo nouo deligendo præſtitutus, & omnibus, quorum intererat, prænuntiatus erat dies XIV Cal. Maias, ſeu dies XVIII Aprilis, eodem anno MDLV. Erant vero in metropolitani Collegii ſenatu multi tum auctoritate magna viri, ſed eminebat inter omnes nobiliſſimi ſtemmatis ſplendore, opum magnitudine, amicorum copia, Palatini fratris vicinia, & ſumma, quam in eo ipſo Collegio gerebat, dignitate conſpicuus D. *Richardus* Præpoſitus *, Princeps Simmeranus. E contrario autem erat D. Daniel ornamentis hiſce omnibus impar, & vir iuuenis, & inter Capitularium Dominorum extremos. Tres enim poſt ſe tantum habebat. Ille igitur certa iam ſpe Archiepiſcopalem prehenderat dignitatem, adeo, vt ne præſto quidem eſſe voluerit Moguntiæ, comitiali die; ſed ex vrbe cum excederet, dicatur ſuis Vale familiaribus dixiſ-
919 ſe, quaſi eam in domum eo modo rediturus amplius non eſſet; quin vero ſe, vbi ſuffragia tuliſſet omnia, magno cum triumpho in vrbem reuocandum & inducendum putarit: & plerique Archiepiſcopum, & Electorem cum apertis iam vocibus dicerent, pictisque inſignibus pronuntiarent. Sed vbi ad Comitium a Reuerendis & Nob. Dominis Canonicis ventum eſt, mutata ſunt omnia: facti ſunt nouiſſimi primi; electus eſt Daniel, prætermiſſus Palatinus. Obſtupuere omnes, & qui notæ melioris erant, ingenti exultauere gaudio, dicentes, *Dei digitum hic fuiſſe.* Et vere fuit, vti, quæ conſecuta ſunt, monſtrauere quam manifeſtiſſime. Nam dignitatem iſtam maximam maximo cum eccleſiæ, prouinciæque ac Principatus Moguntini bono & ornamento gubernauit ſapienter ac feliciter Daniel: Palatinus vero ille turpiter a S. Martino, Moguntinorum præſide, ad apoſtatam Martinum Lutherum, a Catholica fide ad hæreſin defecit. Magnum vero fuit hoc diuinæ bonitatis erga Moguntinam eccleſiam beneficium, cui nullum hactenus præfici paſſus eſt, qui ab antiqua, & ea, quam S. Bonifacius docuit, ſuoque ſanguine confirmauit, credendi forma deſciuerit.

* Enimuero notes, tum, cum Sebaſtianus diem ſupremum obiit, Daniel vero ad mitram vocatus eſt, *Richardum* Palatinum, de quo hic auctor, nondum Præpoſiti obiiſſe munus (quippe anno demum MDLIX *Marquardo* de *Stein* ſuffectus eſt, vt ſupra iam dictum) electioni vero interfuiſſe præſentem, vt ex *Inſtrumento electionis*, quod in codice Diplomatico dedi, patet.

Ceterum Daniel ſollemniter electus & populo, cum aræ maiori de more impoſitus fuiſſet, denuntiatus, ex æde D. Martini medius inter *Io. Andream Mosbach* de *Lindenfels*, Decanum, & *Arnoldum* de *Bucholtz*, Cuſtodem, ad exuſtam *D. Martini* arcem, in veteris, receptæque hactenus conſuetudinis indicium, deductus eſt: quam cum ſubiiſſet, ex area, quousque venerat, retro ceſſit, ductus ad Carmelitarum cœnobium, quo hoſpitio tum Archiepiſcopus vtebatur.

Quarto poſt die, qui XXII menſis Aprilis erat, in ædibus, quæ vulgo *der Thiergarten* dicebantur, ciues Moguntinos iureiurando & obſequii religione ſibi deuinxit. Inde vero nil prius habuit, quam vt a Pontifice ampliſſimi muneris tum confirmationem, tum palii conſequeretur geſtamen. Delegauit igitur die VIII Iunii Romam *Arnoldum* de *Meroda*, Canonicum, & *Arnoldum* de *Bucholtz*, iuniorem, Domicellarem, vt vocant, vtrumque reuerenter vt peterent iuxta expoſcerentque. Voti damnatum fuiſſe, patet ex Inſtrumento *Ioannis Franciſci Firmani*, quod in codice dedi Diplomatico.

CAPVT VI

De primis Archiepiſcopatus eius principiis.

VOracibus Brandenburgici Alberti, de quo ſupra, flammis hauſta fuerat Moguntina S. Martini arx, priſtinum Archiepiſcoporum domicilium. Hoſpitio igitur vſus eſt electus Daniel Carmelitarum cœnobio, parte, quæ ipſis neceſſaria erat, relicta: ſuaque ipſos liberalitate fouens ac ſuſtentans. Cogitauit interim de illa reædificanda: & Comitiorum, e quibus nuper aduenerat, intentam ſtatim curam ſuſcepit, non vt ad ea rediret (neque enim hoc primo Archiepiſcopatus initio poterat) ſed vt per legatos ſtudioſe ageret. In iis vero poſt

multas variasque Catholicorum, & eorum, quibus venustum fidei symbolum Augustana Confessio allibuerat, disceptationes, eo tandem deuentum, vt sciscceretur, nullum, neque veteris religionis, neque nouæ illius confessionis caussa, vlli quidem exhibendum negotium: si tamen ex ecclesiasticis vllus ad hanc transire vellet, cum eo ecclesiastica bona & dignitates nequaquam transirent, sed eorum ille omnium iacturam faceret. Nam etsi Catholicæ caussæ, vbicunque potest, periniquus est *Ioan. Sleidanus*, decreti tamen illius verba, quæ fol. 90 b) in Comitialibus actis germanica sunt, latine ita conuertit lib. XXVI; *Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius ordinis ecclesiastici a religione veteri deficiat, is continuo decedat ab Episcopatu suo, præfectura, beneficio, simul omnibus etiam fructibus, quos inde percipit: quod ipsum tamen ad nullam eius infamiam pertinebit: & collegio, siue iis, ad quos ea res iure vel consuetudine pertinet, liceat, integrumque sit in eius locum eligere, seu constituere alium, qui sit veteris religionis, quo nimirum institutionis, electionis, præsentationis, confirmationis, & id genus alia iura, simul cum tranquilla possessione bonorum, integra illis permaneant: sic tamen, vt futuræ conciliationi religionis, de qua dictum est, nihil hoc ipso detrahatur.* Edit. I pag. 920

Danielis vero legati fuerunt *Marquardus von Stein*, in metropolitanam *Richardi* Principis, Lutherani iam facti, Præpositurum suffectus *, *D. Ioannes Mosbach von Lindenfels* Decanus, *Philippus Coppensteinius* Canonicus, *Christophorus Matthias* Cancellarius, nobiles item viri *Ioannes Brendel* senior, Fridbergensis Burggrauius, *Sebastianus Rüdt*, *Leonhardus Kotvvitz*, *Petrus Echter*, cuius fideli opera & consilio in secutis pluribus Comitiis, & multis magnisque in rebus perlibenter vti solebat Daniel. Fuit autem ille *Iulii* Reuerendissimi & Illustrissimi Herbipolensis Episcopi, ad maximum ecclesiæ illius bonum adhuc superstitis, pater; qui cum generis nobilitate insignem antiquæ fidei amorem, decori vestitus modestiam, prout ipse aliquando notaui, & accuratam liberorum in eadem illa fide, honestis disciplinis, bonisque moribus institutionem (vnde illis postea dignitatis plurimum) copularat **.

* Notes, *Marquardum* de *Stein*, quem Daniel loco primario ad Comitia misit, non succesisse *Richardo*, sed *Richardum* illi, vt ex dictis patet.

** Sequenti MDLVI domi de componendis cum *Alberto* Marchione Brandenburgensi rebus egit. Conuenerant enim Moguntiam Principes ad Rhenum Electores; quos inter *Otho Henricus* Palatinus priuignum *Albertum* adduxerat. Sed opinio erat, non cum optima gratia discessum esse. *Camerarius* annotat. rerum præcipuar. ad h. a. p. 567.

Secuta sunt anno MDLVII partim Ratisponæ, partim Spiræ vel Comitia, vel comitialia de Spirensi Tribunali scita, quibus & per legatos subscripsit Daniel. Et in Ratisponensibus quidem, factu visum fuerat optimum, vt inter Catholicos & Lutheranos, ad omnes de religione tollendas dissensiones colloquium Wormatiæ haberetur, simulque præses, & colloquentium, auditorum, Notariorum, eorumque qui præsidi assiderent, numerus, & conditiones præscriptæ diligenter erant, vt in actis legere est *: attamen perexiguum esse id genus colloquiorum fructum fatentur Principes in iis, quæ proxima insecuta sunt, Comitiis †. 921

* *a fol.* 192 *vsque ad* 196; *f.* 215 *b*) (Ser.)

Francofurtum concedit.

† Postero, qui orbi MDLVIII illuxit, cum Carolus V secum constituisset, Imperii fasces ponere titulosque, & Francofurtum legatos misisset, qui Electoribus id denuntiarent, Daniel X Kal. Martii CC stipatus equitibus eo venit, Cæsaris percepturus mentem. *Camerarius* l. d. ad h. a. p. 576.

Ea per Seldium exposita, & ipse votum Caroli ratum habuit, Ferdinandumque die XIV Martii Imperatorem agnouit: simul autem illum suo, ceterorumque Septemuirorum nomine de conferendis vnicuique Imperii beneficiis, tanquam feudorum dominum ac auctorem, reuerenter compellauit.

regalia a

Die dein sequenti, quem Ferdinandus ipsi præstituerat, hora post meridiem secunda in hospitium se contulit Cæsareum, & per *Ioannem Andream Mosbach* de *Lindenfels*, Decanum, *Georgium*, Comitem Isenburgico-Büdingensem, *Ioannem Brendel* de *Homburg*, Burggrauium Fridbergensem, ac *Ioannem* de *Stockheim*, Vicedominum Rhinganiæ, iura regalium, Imperiique beneficia sibimet tribui petiit. Eo annuente, ipse, qui interea in proximo conclaui opperiebatur, euocatus accessit ad augustale solium, & in genua prouolutus idem rogauit. Inde tactis manu euangeliis, quæ Episcopus Labacensis Ferdinandi in gremio posita tenebat, sollemni formula Septemuirale iusiurandum recitauit, & ensem Cæsareum, sibi porrectum, exosculatus, Cæsaris iussu *Ferdinando consequitur*

Edit. I p. 921

iussu consurrexit, eique assedit: Treuirensi dein iisdem cæremonus dignitatum suarum iura recognoscente.

Cæsarem postea die XXI Martii Francofurto discedentem, honoris & obsequii caussa prosecutus, Aschaffenburgi exquisito officiorum omnium genere excepit, & sequenti die Miltenbergam vsque comitatus est, nil vtique prætermittens, quod illi esset cohonestando.

Cæsaris petito,

Egerat autem Cæsar Ferdinandus in conuentu Francofurtensi cum Septemuiris ecclesiasticis, expetieratque, vt de sanctiore disciplina in mores Cleri reducenda vlteriorem susciperent cogitationem. Cum igitur non longe post *Michael*, Archiepiscopus Salisburgensis, formulam quandam scripto comprehendisset, ac pollicitus esset, si illi diem locumque quendam præstituerent, quo rei huius gratia vellent conuenire, se quoque compariturum; rogabat Cæsar Ferdinandus per litteras Viennæ die VII Iunii datas, velit Daniel cum Treuirensi & Colonienſi hac de re quam primum agere. Is haud cunctatus, vtrumque compellauit, ac vt quosdam ex suis Bingam ad XIV Septembris diem delegarent, monuit. Quo appropinquante ipse eo misit *Ioannem Andream Mosbach* de *Lindenfels*, Decanum maioris, & *Christophorum Matthiæ*, Cancellarium. Deliberatione habita Legati optimum factu censuere, si alius hac de re conuentus Vormatiæ ad d. XIII Nouembr. ageretur; Electores vero interea viros idoneos, quos eo ablegent, omni deligerent cura.

de Clero reformando

agit Bingæ,

Quare Daniel statim *Michaelem Helding*, Episcopum Merseburgensem, & Tribunalis Spirensis Iudicem, rogandum iudicauit, vt conuentui illi interesse, & primarium inter Moguntinenses locum obire vellet, vel, si forsan per munia Iudicis sibi incumbentia non posset, saltem Moguntinos, ante congressum Spiram negotii huius caussa mittendos, fidelibus monitis consiliisque institueret. Michaele prius deprecante, ad posterius vero respondente, se quidem eos tum libenter admissurum, tum pro viribus adiuturum, ipse denuo eum compellauit, obsecrauitque, partes istas in se susciperet; permultum enim id ad negotium istud promouendum, feliciterque expediendum allaturum momenti. Quin tandem perfecit, vt conuentus, qui Vormatiam indictus erat, transferretur Spiram.

Affuere igitur ibidem ad diem præstitutum Legati, nomine Danielis laudatus modo *Michael*, Merseburgensis Episcopus, *Georgius Behem*, SS. Theol. Licentiat. & *Simon Bagen*, Secretarius: nomine Treuirensis, *Georgius Leonberg*, Decanus S. Florini Confluentiæ & Officialis, nec non *Bartholomæus Latomus*, SS. Theol. D. nomine Colonienſis, *Ioannes* Episcopus Cyrenensis, Suffraganeus, & *Ioannes Schlotanus*, Theol. D. non item, qui Salisburgensis exspectabantur nomine. Suis autem de caussis die XVII Nouembris visum, deliberationem hac de materia habendam transferre Augustam, quo indicta essent Comitia proxime agenda. Ad ea igitur deueniendum. Sic autem Auctor;

& Spiræ.

Ea vero fuerunt Augustæ anno MDLIX, iisque præsens interfuit Daniel, in quibus religionis, quæ anno MDLV placuerat, confirmata pax: pecuniaria in Turcicum bellum, & vrbium, arciumque reparationem subsidia decreta: prædonibus, eorumque receptaculis domibus & eastris excidium constitutum: Spirensium denique iudiciorum ratio sancita.

de actis in comitiis Augustanis.

Sed & de reformando Clero ab Ecclesiasticis actum. Primum die XIV Martii in cœnobio S. Crucis, cum *Iulio*, Episcopo Numburgensi; quem postea die VII Iunii Daniel & Antistes Herbipolensis ipsi inuiserunt, vt negotio isti manum admouere vellet, hortantes. Dein die VIII Iulii in hospitio Moguntino; vbi Daniel præsentes monuit, esse sibi formulam, de Clero ad auitæ disciplinæ frugem reuocando, scripto comprehensam. Dispiciendum igitur, vt operis principia auspicanda sint. Quod & factum, formula lecta, & deliberatione instituta. Sed satis de his.

CAPVT VII

Quomodo Societatem IESV Moguntiam vocarit.

DIctum in *Alberto* Cardinale supra, quemadmodum Moguntiam venerit magna doctrina & virtute vir *Petrus Faber*. Sed quia vocabatur alio, neque ipse, neque alius e Societate quispiam Moguntiæ tunc sedem fixit: sed vt hac in vrbe domicilium statuerent Societatis IESV Patres, omnium primo a Reuerendiss. & Illustriss. Daniele accersiti sunt. Id vero quemadmodum contigerit, percensebo e domesticis, quos manuscriptos reliquit P. *Valerandus Sartorius* Insulensis, commentariis. *Anno*, ait ille, *a Virginis partu MDLXI, Pio IV alterum in summo Pontificatu annum agente, Ferdinando autem I Romanum Imperium obtinente, & IV iam annum regnante, iacta fuerunt Moguntiæ prima Societatis IESV Collegii fundamenta. Nam Reuerendissimus, eius ciuitatis Archiepiscopus, idemque sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector Daniel, cum suæ diœcesis in Catholica fide, Christianisque*

nisque moribus promouendæ zelo diuinitus incitaretur : ipsius Academiæ Moguntinæ (quæ antea non ita pridem ab Illustrissimo Cardinale Alberto Brandeburgico, & legibus optimis restaurata, & stipendiis nouis aucta fuerat) Professores sibi ad eam rem auxilio fore non immerito sperabat. Verum quod multo minus inde præsidii, quam sibi interim promiserat, exspectandum esse tandem prudentissimus Princeps animaduerteret, alio opus esse præsidio iudicauit, vnde & priuatim ad plurimos rectæ institutionis fructus dimanaret, & publice aliqui emergerent veræ auitæque fidei atque pietatis assertores, quorum opera in amplissimi Archiepiscopatus administratione vteretur. Ceterum quod iam ante ex nobili viro Petro Echtero (qui ei a consiliis erat) & D. Simone Bagen (qui a secretis) formandæ iuuentutis in Colonienſi, aliisque Societatis Collegiis diligentiam cognouisset, animum ad Societatis homines in suam diœcesin euocandos adiecit. Huc accedebat vicinum Reuerendissimi Treuirorum Archiepiscopi Ioannis a Petra exemplum, qui superiori anno apud Treuiros Collegium Societatis instituerat : & aliquanto remotius aliud Clarissimi Bauarorum Ducis Alberti, qui aliquot ante annis idem Ingolstadii perfecerat : maxime vero illud Ferdinandi Austrii Imperatoris, a quo pridem Viennam, Pragamque, ac Oenipontum Societatis IESV homines fuisse aduocatos Moguntinus Præsul Daniel minime ignorabat. Itaque ne hoc religionis Catholicæ præsidio suam diœcesim vacuam esse pius Antistes sineret, anno sacræ electionis suæ sexto, consilio cum Dominis Metropolitanis, Decano & Capitulo omni, communicato, litteris petiuit a Reuerendo P. Iacobo Lainez, Societatis IESV generali Præposito, vt socios XII pro initio ad hoc institutum sibi transmitteret. Edit. I pag. 922

Summatim astringam alia. Missus Colonia fuit, consulari gente, insignique diuinarum rerum scientia, pietate, morumque grauitate præstans vir *P. Ioannes Rhetius*, cum adiutore socio. Aschaffenburgum, vbi tum morabatur Princeps, ipso Annunciationis B. V. festo die peruenerunt. Gratissimus fuit bono Principi Patris illius aduentus, humanissimeque ipsum & per se, & per 923
suos accepit : causam, cur Societatis IESV homines sua in diœcesi & ciuitate Moguntina esse vellet, exposuit : omnia, quæ ad victum & amictum, ædem sacram, & bibliothecam opus forent, prolixissime promisit, & reipsa sane, quoad in vitæ huius statione fuit, cumulatissime præstitit. Aderat forte illis diebus ipsi Reuerendissimus Nuntius Apostolicus *Zacharias Delphinus*, Episcopus Pharensis, qui cum *Io. Francisco Commendono*, Episcopo tum Zacynthio, postea Cardinale, a Pio IV Pontifice Maximo ad Naumburgensem Protestantium Principum conuentum, qui eodem anno MDLXI habebatur, & ad Germaniæ Archiepiscopos, Principesque alios missus ideo fuerat, vt eos ad Tridentinum Concilium, Germanicorum bellorum tumultu, prout in Sebastiano vidimus, intermissum, nunc tandem repetendum & continuandum, inuitaret. Cum hoc Moguntiam petente, missus ille a Reuerendissimo Archiepiscopo Francofurtum, vbi vernus erat mercatus, vt bibliothecæ quædam velut initia emeret, donatis thaleris CC. Sed eum Moguntiam secum abduxit Nuntius. vbi hospitio in arce admodum honorifice accepti, pie Pascha egerunt. Aprilis die XII Moguntiam reliquere : sed ille alio, Aschaffenburgum Rhetius tetendit, vbi totum pæne mensem varios vtilesque cum eo sermones habuit Reuerendissimus. Illinc V Idus Maii Moguntiam rediit, ipse autem Reuerendissimus VII Idus Iunii, qui in binis ecclesiæ Cathedralis ædibus, quarum alteræ *Iulii Pflug* Naumburgensis Episcopi, alteræ *D. Fuchsii* *, Scholastici Metropolitani, erant, Societatem initium facere voluit habitandi & docendi : necessariamque supellectilem & annonam liberalissime suppeditauit : & cum die vndecimo Augusti Aschaffenburgum reuerteretur, istius totius negotii procurationem diligenter fidis hominibus commendauit. Venit interea initio Octobris Moguntiam designatus Collegii noui Rector, P. *Lambertus Auerus*, S. Th. Doctor, deinceps que alii complures. Sicque, quod DEVS OPT. MAX. bene ac feliciter euenire semper iubeat, publicis lectionibus datum initium ipso B. Virginis conceptæ die, diuulgatis prælectionum indicibus, & eleganti ad tempus accommodata oratione habita.

* l. *Fockii* de *VValstatt*, vt supra iam monui l. I cap. XXXIV § IV p. 108.

Accidit

Edit. I p. 924

Accidit vero, inquit citatus *Valerandus*, *sub hæc initia, vt magni aliquot viri cum Illustrissimo Principe colloquentes, omnibus modis persuadere conarentur, ne Societati Moguntiæ vllus concederetur locus, eaque de caussa quædam non sat honesta de Societate comminiscerentur: quibus ita respondit, vt nec ab Episcopo sapientius, nec a Principe dignius, nec a Patrono amantius responsum dari potuerit, vti ipso referente nostri postea cognouerunt: neque videlicet sibi ab eis leges esse accipiendum, quas & ipsi in administranda ditione propria ab aliis accipere nollent: neque si minus esset officio suo functus, id negligendum in posterum: atque si quæ obiectabant, probarent, adhuc se de admittendis Societatis IESV Patribus deliberaturum.* Atque hoc vocatæ a Reuerendissimo & Illustrissimo Daniele Moguntiam Societatis IESV principium fuit. Alia opportuniore loco deinceps.

CAPVT VIII

Quomodo ter venerabile Christi Domini corporis Sacramentum in processione circumtulerit Daniel?

ANno Domini MDLXII, cum Dominici corporis festus instaret dies, ad maiorem CHRISTO IESV honorem tribuendum, maioremque tanti mysterii memoriam & venerationem excitandam, statuit non publicæ tantum, quam Metropolitanus Clerus, præclaro cum ordine, pretiosa veste plurima, coronis ob solis æstum, & nudorum capitum munimen quernis habere solet, processioni adesse: sed suis etiam manibus ven. Sacramentum gestare. Dissuadebant plurimi: aiebant rem hisce temporibus esse nouam, suspicionis plenam, hæreticorum vicinorum, immo & intestinorum risibus & sannis obnoxiam. Sed quo illi magis dehortabantur, eo ille magis ad Christianam exercendam pietatem excitabatur. ita, vt cum res vicinis in locis increbuisset, maximi fuerint vel ad spectandum, vel ad explorandum concursus. Ipsa igitur Theophoriæ sacræ luce circumgestauit Archiepiscopus arcam Testamenti noui sacerrimam, sa-
925 crosanctum Domini corpus, Catholicis exultantibus, DEVMque & Archiepiscopum laudantibus: hæreticis obstupescentibus, partimque probantibus, improbantibus. Ex illo autem tempore cœpit, quem hodie videmus, mos, vt e circumfusis hæreticorum vrbibus & pagis Moguntiam ad sacra ista Christophoria spectanda concurrant tam multi.

CAPVT IX

Quomodo Maximilianum II Cæsarem elegerit, & vnxerit?

DVos, quorum successit alter alteri, Romanorum Reges elegit, & vnxit Archiepiscopus Daniel: Vnum quidem elegit *Maximilianum II*, Imperatoris *Ferdinandi* filium eodem anno MDLXII, die XXIV Nouembris in Francofurtensi S. Bartholomæi templo: eundemque ibidem die mensis eiusdem vltimo inunxit. Cuius rei narrationem, prout a *Simone Schardio* I. C. in historiarum tomo III relata est, operæ fuit pretium hic intertexere *.
fol. 2066

* Ante vero, quam eam audiamus, iuuabit, breui de electionis negotio & serie pauca præmittere.

Scilicet, cum Daniel Collegis Septemuiris conuentum ad XV Iunii diem Francofurti habendum indixisset, post vero in d. XX Octobris prorogasset, ipse XXIV eiusdem mensis die cum Cæsare eo venit. Initio Comitiorum dein XXIX Octobris facto, sequenti die Principes Electores & Colonienses Legati conue-
audita Cæsaris propositione, & legatis nere, Imperatoris percepturi mentem. qua per Albertum, Boicæ Ducem, exposita, diebus secutis deliberationes institutæ: & cum sedes Agrippinensis tum vacaret, missi Colo-
Coloniam missis, niam ad Collegii maximi Clerum, *Ioannes Andreas Mosbach* de *Lindefels*, Decanus Moguntinensis, *Henricus Riedesel* de *Bellersheim*, Aduocatus Germersheimensis, & *Simon Bagen*, qui supra cap. VI & VII nobis iam occurrit, adhortaturi eum, vt noui Præsulis electionem maturarent, quindecim diebus illi præfixis.

Interim, dum ii Coloniæ iussa expediebant, Daniel die XVII Nouembr. litteras, de Rege Romanorum ad diem XXIV dicti mensis eligendo, Septemuiris, vt moris est, transmisit: Treuirensi quidem per *Arnoldum* de *Bucholtz*, Custodem, *Eberhardum Rüd* de
Septemuiris Collegis litteras de Rege Romanorum eligendo transmittit.

Collenberg, aulæ Præfectum, & *Chriſtophorum Matthiæ*, Cancellarium: Bohemo, per eosdem: Palatino, qui in ædibus Teutonicorum Sachſenhuſæ hoſpitabatur, per *Leonhardum Cotvvitz* ab *Aulenbach*, Mareſchallum, & *Eberhardum Brendel* ab *Homburg*, Satrapam tum Clingenbergenſem, Protſeldenſem, & Lohnſteinenſem: Saxoni, in ædes Glauburgianas per *Philippum* de *Graenrod*, Vicedominum Rhingauiæ, *Philippum* de *Bicken*, Præfectum tum temporis Steinhemenſem, & *Henricum* de *Selbolt*, Satrapam Olmenſem & Algesheimenſem: Brandenburgenſi, in ædes, vulgo *der Nürnberger hof* dictas, per eosdem: Colonienſi, die XIX Nouembr. electo, per *Philippum Brendel* ab *Homburg*, Præfectum Diepurgenſem. Edit. I pag.

Die ſequenti vero, XVIII ſcilicet Nouembris, de conditionibus Regi ferendis (*Capitulationem* vulgo vocant) deliberatum; & cum Colonienſis *Fridericus* recens deſignatus aduolaſſet, dicto XXIV Nouembr. die electionis negotium in æde D. Bartholomæo ſacra confectum; de qua re videri poteſt auctor lib. I cap. XXV. Ceterum is de coronatione ſecuta ſic pergit. *Maximilianum eligit.*

Sic ergo narrat ille: *Interiectis* (poſt factam ſcilicet electionem) *ſex diebus & inſtantibus Calendis Nouembris** (qui dies D. *Andreæ* CHRISTI Apoſtolo ſacer eſt) *rurſus in templo prædicto conuenere primo eccleſiaſtici Electores nempe Moguntinus, Treuirenſis, & Colonienſis, atque vna cum his Wirciburgenſis & Marquardus Spirenſis Antiſtites, idque mane cum dies ſatis illuxerat, horam paullo poſt ſextam. Imminente vero iam ſeptima tum Bohemiæ Rex, & vna cum eo ſæculares Electores Palatinus, Saxonienſis, & Brandeburgenſis ad palatium Cæſaris vna ſe contulere. Ipſe igitur Rex ſericam veſtem oſtro tinctam, quæque promiſſa quidem, ſed ſtrictior erat, & aurato texto, cui pretioſiſſimum pellicium ſubductum prominebat, pellucidam geſtabat, hanc ſuperindutus oblongum indumentum ex auro contextum chlamydis inſtar, capitis vero pileum ceteris Electoribus conformem: qui iidem omnes & ſinguli Electorali ſuo habitu & clenodiis Imperialibus in dextris, vt ſupra relatum eſt, conſpicui Cæſaream & Regiam Maieſtatem, quorum vterque ſub tegmine portatili aurato incedebat, cælum id vocant, (cuius tergeminum axem humeris ſuſtinebant ſelecti e ſenatu Francofurtenſi viri D. Chriſtophorus Keller*, Carolus Kuhorn, ambo Scabini, & Antonius* Iungius, Carolus a* Glaubach, Iuſtinianus ab Holtzhauſen, & Daniel* Hengsburgerus quatuor ſenatorii ordinis viri) a latere quidem dextro Elector Palatinus, a ſiniſtro autem Brandeburgenſis, Electore Saxonico inter vtrumque gradiente, a palatio Cæſareo ad templum vſque prædictum S. Bartholomæi comitati ſunt. Eo poſtquam deuentum, atque id eccleſiaſticis Electoribus, qui in ſacrario chori interim ſua quiſque Pontificalia induerant, denuntiatum eſſet, protinus hi quidem obuiam Cæſareæ & Regiæ Maieſtati in medium chori progreſſi ſunt, primo adeo Elector Moguntinus præcedens cum Clero ſuo, ex hoc alio crucem argenteam oblongam, alio pedum Epiſcopale, alio baculum argenteum, in quo ſigilla Archicancellariorum Imperii affixa pendebant, geſtantibus, Maieſtatem ipſius venerabundus excepit: ad Regis vero vtrumque latus duo Epiſcopi ſupra dicti Wirciburgenſis & Spirenſis (eo quod reliqui duo Electores Archiepiſcopi nondum eſſent conſecrati) ſe applicantes ipſum medium reuerenter amplexi ſunt. Hos vero tres ſæculares Electores cum clenodiis ſuis, mox Cæſar ipſe, & a tergo eius Baro quidam Schenckius a Limburgk chlamydem Cæſaris portans, poſt hunc duo reliqui Electores eccleſiaſtici Treuirenſis & Colonienſis ſequebantur. Cæſare itaque primum in choro ſeſſionis locum a dextris capiente, tres Electores ſæculares, vnus pomum aureum, alter ſceptrum, tertius gladium tenendo, coram eius Maieſtate ſtantes paululum miniſtrarunt, quibus ille mox innuit, vt & ipſi pone in dextro latere conſiderent, iuſſitque, vt ipſorum officiarii ſubſtituti interim vicem eorum gererent: reliquis quoque Principibus, Duci Bauariæ, Duci Iuliæ, Magiſtro ordinis Germanici, Wolfgango & Georgio Ducibus Palatinis, Duci Meckelburgenſi aliisque, ex oppoſito ſibi, ſedilia dari mandauit: præterea alios Duces & Principes, nempe Wirtenbergenſem, Ducem Lotharingenſem, duos Landgrauios, Ducem Lauenburgenſem, Ducem de Arſchot, Principem Vraniæ, & Principem Anhaldiæ, & reliquos, vbicunque vellent, conſiſtere permiſit. Legati quoque Pontificii non longo inde interuallo a conſpectu ipſius, ſicut & reliqui Electorum ſummi conſiliarii aſſidebant. Rex interim in medio templi apud altare conſiſtens, donec Cæſar cum toto ſenatu Principum conſediſſet, exſpectauit, cumque apud altare flexis genibus oraſſet, precesque finiiſſet, ad ſellam ſibi deſtinatam, inque Cæſaris*

*l. Decemb. 926 927 *Glauburg

* Kellner *zülungen * ab Hynſperg

Edit. I pag. *Cæsaris conspectu positam, auratis stratis, tapetibusque altis decoratam a duobus Episcopis Wirciburgensi & Spirensi ducitur, reliquis quoque Electoribus ecclesiasticis vna cum his suam quisque sedem nempe Treuirensi & Wirciburgensi a dextro Regis latere, Colonienſi vero & Spirensi a sinistro occupantibus. Mox igitur Elector Moguntinus, qui consecrator erat, sacrum officium Missæ inchoans, pro more confessionem præfatus est. Hæc cum incipitur, tum Elector Palatinus e choro in conclaue se subduxit, licet reliqui duo Electores, Saxonicus & Brandeburgensis, sub sacro illo persisterent, donec cantaretur ALLELVIA. Rex itaque mox a duobus illis Episcopis, Wirciburgensi & Spirensi, ad summum altare deducitur, vbi ipsum ad genua prouolutum Elector Moguntinus, tanquam Consecrator, his fere verbis interrogat, nempe, an fidem Catholicam ser-*

928 *uare, ecclesiam CHRISTI defendere, iustitiam administrare, Imperium Romanum augere & amplificare, viduas & orphanos, omnesque pauperes tutari, & Pontifici Romano debitum honorem tribuere velit? Ad quæ omnia cum Rex se promptum & paratum fore affirmando respondisset, Elector Moguntinus manum super caput eius imponens orauit, finitisque precibus Regem sacrato chrismate inungere cœpit. & primo in summo capitis vertice, deinde in pectore, postea in scapulis seu humeris, tum in dextro brachio, inque dextræ manus palma. Inunctum duo Episcopi supra dicti in conclaue chori, vt ibi oleum Chrismatis aqua ablueret, deduxerunt. Quod cum esset ablutum, Regem alio vestitu, nempe Diaconali, quem amictum quondam Imperator Carolus Magnus gestauerat, indutum rursus e conclaui ad summum altare reducunt, cui tum Consecrator Moguntinus gladium nudum in manum dedit, simulque monuit & hortatus est, vt totam Imperii Romani rempublicam fideliter protegeret, omniaque, quæ ad eius salutem ac conseruationem concernerent, pro viribus suis persequi velit. Gladium igitur illum in vaginam Elector Saxonicus recondidit, ac Regis lateri circumdedit. Mox Consecrator dextro Regis digito pretiosissimum annulum aptauit, corpori chlamydem ex auro rigidam induit, sinistræ manui chrysomelum siue pomum aureum Imperiale, dextræ vero sceptrum regium, & capiti coronam auream (quæ clenodiæ fuere Caroli Magni) imposuit: coronam autem, cum Regi imponeretur, tres Electores ecclesiastici simul attigerunt, Regemque religiose initiarunt. Sic itaque coronatum Elector Maguntinus iterum per iuramentum in sancta Euangelia, officii ac promissi facti admonet, simulque iniungit, quatenus omnia quæcunque Christianum Regem facere decet, & fas est, pro animi sui viribus seruare ac præstare studeat. Post hæc igitur Regem iam sollenniter & glorioſe coronatum ducunt in sublimem quandam*

929 *structuram, asseribus contignatam, cuius omnia auratis segmentatisque stratis, pannoque viridi circumquaque erant tecta: super hæc autem erat sella seu thronus regius, in forma regii illius solii, quo Carolum Magnum vsum fuisse perhibent, miro splendore apparatus. In hoc throno seu solio collocatum, & sedentem ipsum Regem possessione ac residentia Romani Imperii publice in conspectu omnium inaugurarunt. Tum Elector Moguntinus Regi Romanorum regno recens initiato de summi honoris istius accessione suo & aliorum confratrum suorum nomine honorifice gratulatus & bene precatus est, seque & omnes alios status Imperii gratiæ ac tutelæ ipsius humiliter commendauit. Mox igitur rursus magno cum iubilo ac gaudio totus chorus musicus glorioſe, TE DEVM LAVDAMVS, decantare, tubæque & organa ac tympana toto templo insonare cœperunt. Interea a nouo Rege coronato heroici equitis deauratis armis decorati & insigniti sunt quidam Principes, Barones, & Nobiles, nempe duo Comites Palatini, duo Landgrauii, Dux Echardus * Wirtenbergensis, Ioan. Albertus Dux Meckelburgensis, Dux Carolus a Münsterberg, Christophorus a Carleuitz,* * l. Eberhardus

* Mager *Erasmus Magro *, Ioan. Phrysinger * &c. Quibus sollenniter peractis, Rex* * Preysinger *iterum e sublimi illa structura descendens in chorum rediit ac sellam suam pristinam repetiit, intendens cultui diuino, cuius sacra Elector Moguntinus peragebat: cumque sub offertorio sacræ Missæ Rex patenam apud altare deosculatus esset, obtulit sacrificanti Electori Moguntino super altare magnum aureorum numerum, moxque rursus in solio suo recubans, librum quoque Euangelii, cum finita esset eius lectio, osculo veneratus est. Porro inter hæc, duo Canonici Aquen-*

quenſes in medium coram Rege prodierunt qui conceptis verbis & iuramento præmiſſo Maieſtatem ipſius veteris ſtatuti ac conſuetudinis admonuerunt, aſſerentes, vnumquemque Regem Romanorum nouiter electum ac coronatum in numerum Collegarum ſeu Canonicorum Aquenſium recipi ſolere. Hæc autem cum omnia & ſingula ita gererentur, & ad finem properarent, tum Sereniſſima Regina D. Maximiliani coniunx, quæ toto huius actionis tempore vna cum multis illuſtribus matronis & Ducibus, vt Lotharingiæ, eiusque filia, & item Electoris Saxonici coniuge, atque Bauariæ Duciſſa, ac pleriſque aliis in loco ſublimi conſiſtens ſingulas has cæremonias ſpectauerat, tandem ſurgens, ſe e templo in Electoris Saxon. coniugis diuerſorium, ad ſumendum ibi prandium, cum toto prædicto Nobiliſſimarum Ducum Comitatu recepit: vbi etiam totius Electorii ſenatus ampliſſimam e templo proceſſionem e feneſtra ſpectauit. Finito itaque (vt ad incepta redeam) demum hoc ſummæ Miſſæ ſacro, Electores eccleſiaſtici in chori ſacrarium ſecedentes, Pontificales ſacras veſtes rurſus depoſuere, habitum ordinis Electorii induerunt. Tum Cæſar (qui toti huic ſacro officio & coronationis actui in ſolio Cæſareo reſidens interfuit) cum illi aſperſa eſſet aqua benedicta, e ſella ſurrexit, exitumque e templo parat. Diuertunt itaque vna omnes ad curiam ſenatoriam, vbi Cæſareum ſeu Imperiale conuiuium in cœnaculo apparatum erat, præcedente primo Electore Treuirenſi ſolo, & poſt ipſum ſequentibus in vna ſerie Palatino cum pomo aureo, Saxone cum gladio nudo, & Brandeburgenſi cum ſceptro Imperiali, mox Cæſar ipſe & ad paſſum vnum iuxta a ſiniſtro latere Rex Romanorum ſub tecto aureo incedebant, horum tergo imminentibus Electoribus Edit. I p. 930

fol. 2074. *Moguntino & Colonienſi.* Eadem in eodem tomo III deſcribit *Nicolaus Heydenus.* Sed quæ iam, ne lectori crambe ſit, omittenda. De alterius vero electione & coronatione dicetur infra.

De conſultationibus cum Cæſare ſuper coniugio Clericis & calice ſacro Laicis concedendo, *habitis.*

Cæſar autem, vti nuper Francofurti, cum filius Maximilianus in regni collocaretur faſtigio, ita poſt etiam iudicabat, ne res eccleſiæ Romano-Catholicæ penitus peſſum iret, duo potiſſimum a Pontifice petenda eſſe; I) vt laicis vſum calicis in ſacra cœna concedat. II) vt Clericis permittat coniugium. Litteris igitur Friburgi in Briſgoia die XXVII Decembr. a. h. LXII datis tres ad Rhenum Archiepiſcopos & Principes Electores monuit, vt omnem curam cogitationemque hanc in rem conferrent, & e Conſiliariis quisque ſuis vnum alterumue ſcientia rerumque vſu ſpectatum delegaret, quibuscum eam vlterius expendat. Ii conuentu apud Confluentes habito reſcripſere, miſſuros e ſuis quoſdam, ſi diem Cæſar præſtitueret, locumque, quo delegandi ſint. Hoc dein & illo conſtitutis, Daniel anno ſequenti MDLXIII Kal. Iul. Viennam miſit *Philippum Acker* ſiue *Agricolam*, Decanum ad D. Petri, & *Simonem Bagen*, Secretarium; Colonienſis, *Ioannem* Epiſcopum Cyrenenſem; Treuirenſis, *Bartholomæum Latomum*; Salisburgenſis vero, quem quidem & Bauariæ Ducem Ferdinandus ſimiliter compellarat, *Chriſtophorum* de *Lamberg*, Præpoſitum Iuvavenſem, *Felicianum Morbonium*, Ordinis Prædicatorum, & *Gervaſium Fabricium*, I. V. D. & Conſiliarium; Albertus Bauarus, *Thomam VVidmann*, Cancellarium Burckhuſanum, *Martinum Eiſengrein*, Ingolſtadii Parochum ad D. Mauricii, & *Ludouicum Glengk*, Theol. & Iur. Licentiat.

Hi cum auditi eſſent a Cæſare, & poſtea de modo rem tractandi deliberaſſent, cenſuere, ab Epiſcopo Gurcenſi, tanquam Præſide, nomine Cæſaris Legatos Electorum & Principum rogandos ſententiam. Quod & factum. Concluſum autem, quod ad communionem ſub vtraque, vt vocant, attinet, legationem mittendam ad Pontificem, petitum, vt laicis ſacri calicis vſum in ſacramento cœnæ percipiendo concedat, *ad arbitrium* tamen (quod additum) *Ordinariorum loci.* Quod ad coniugium Clericorum, in diuerſas itum ſententias. alii enim ſtatuebant, ſatius eſſe, Clero nuptias permittere, quam pati, vt eccleſia in extremum veniat diſcrimen. rogandum itaque Pontificem, vt patiatur, Parochos, qui velint, ire in matrimonium. alii contra, Moguntinenſes præſertim, ferri hoc non poſſe, abhorrere enim a maiorum conſuetudine, & prorſus labefacere ſtatus eccleſiaſtici auctoritatem. alii aliter. Cæſar his perceptis, Legatis ſignificari iuſſit; referrent ad Heros de habitis deliberationibus; forſan futurum, vt qui nunc ſeorſum ab aliis ſentiant, iis accedant. Sin minus, ſe tamen confidere, ipſis haud graue fore, ſecum adire Pontificem, rerumque ſtatu expoſito petere, velit ſua eo dirigere conſilia, vt offendicula piarum mentium, quæ peſſumdent eccleſiam, tandem tollantur.

Et cum conſtituiſſet, Legatum mittere ad Pontificem, litteris d. XIV Aug. datis Danielem hortatus eſt, velit de coniugio Clericorum ceterorum in ſententiam concedere, & coniunctis viribus Papam, vt id iis, laicis vero calicis ſacri vſum indulgeat, rogare. Idem poſtea aliis vrſit. Vnde Daniel, re cum Treuirenſi & Colonienſi communicata, nouum indixit conuentum, Confluentiæ ad d. VI Decembr.

Edit. I cembr. celebrandum ; in quo, dum agebatur, concluſum, cum res ardui maxime ſit momenti, Suffraganeos prius conſulendos & audiendos, quod & ad Cæſarem perſcriptum : qui interea Legatum hac de cauſſa ad Pontificem miſit.

Ceterum *Pius* alios inter & Danieli certis ſub conditionibus facultatem largitus eſt, ſacri calicis vſum promiſcue propinandi, vt ex litteris ipſius an. MDLXIV, die Aprilis XVI datis, fuſius patet. Vtrum vero ille eam indulgentiam ſua in diœceſi iuris publici eſſe voluerit, eſt, quod dubitem. v. cod. Dipl.

931

CAPVT X

Quomodo in Academia, eiusque Collegio Algesheimenſi, & demum in eo, vbi hodie ſunt, loco, Societatis IESV Patres locarit.

EOdem anno MDLXII, cum creſceret in dies Societatis Ieſu ſcholarum & fama & numerus, ſategit Reuerendiſſimus Daniel, vt in Academiam, eiuſque Collegia Philoſophicum & Theologicum referrentur e Societate Philoſophi ac Theologi ; cumque duo eſſent eiuſdem Academiæ domicilia, *Schenkenbergicum* & *Algesheimenſe*, cum Academicis, vt in hoc immigrarent illi, tranſegit : annoque ſecuto MDLXIII eam, quæ e regione eſt, domum ad Conuictorum, ſi qui eſſe voluiſſent, contubernium, coemit, e qua, in hodiernum vſque diem, multi docti & reip. vtiles viri extiterunt *.

* Immo, vi tabularum anno MDLXVIII, v. cod. Dipl. die VII Septembr. editarum, PP. Societatis, præter Collegium hoc *Algesheimenſe*, adiacentes tres domos, *zum Hammerſtein*, *zum Herbſt*, & *zum Bierbaum* dictas, æreque ſuo coemptas, tum eorum in vſus conſignauit, tum maxime ad ſeminarium ſeu contubernium iuuentutis, nobilis præcipue, bonis artibus, litterisque imbuendæ. Cuius quidem domus *Petrus Thyræus* anno MDLXXXVI in litteris ſe *Regentem* ſcripſit ; *Matthias Egidii* vero *collegii conuictorum Procuratorem.*

Breui ceteroquin contubernium hoc efloruiſſe, vel inde liquet, quod in hoc conuictu viginti, quin plures fuerint alumni : conuictorum vero prope centum ; quorum animos Patres omnibus ingenuis artibus formabant, componebantque, donec anno MDCXXXI, Suecis vrbi appropinquantibus, cœtus iſte periculi metu difflueret.

Vt autem eſſet habitatio laxior, templumque Societatis proprium, egit per litteras cum Pontifice, vt Franciſcanorum, quod loco eſſet, quam Carmelitanorum, de quo etiam egerat, ad Societatis functiones aptiore, vixque a duobus cultoribus habitatum, Societatis Collegium fieret. Voti ſtatim compos factus eſt anno MDLXXVI, & per Cl. V. *D. Chriſtophorum Fabrum*, Cancellarium ſuum, in eius loci poſſeſſionem Patres induxit anno MDLXXVII, die XVI Iulii. Illi vero in eum, toto cum domeſtico, librario, & templario inſtrumento, commigrarunt VII Idus Septembres : ipſoque natæ B. Virginis die ſacro, templum functionibus ſuis vtcunque accommodatum aperuerunt, a precibus, concionibus, & ſacroſanctis myſteriis auſpicati.

PP. Societatis, qui tum intra horam poſt meridiem primam atque ſecundam in poſſeſſionem clauſtri huius pedem poſuere, fuerunt *Hermannus Thyræus* Prouincialis, *Georgius Ruderus*, Rector, *Franciſcus Coſterus*, *Ioannes Leo*, Hiſpalenſis, & *Iacobus Ernfelderus.*

Extant Pontificis, & de tradita poſſeſſione Notarii publici publica teſtimonia : ſed vnum tantum Danielis ipſius ſatis eſt : *Daniel DEI gratia ſanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, ac Princeps Elector, vniuerſis & ſingulis huiuſmodi noſtras litteras inſpecturis, ſalutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere.*
932 *Cum in diœceſim noſtram Moguntinam communicato conſilio cum Venerabilibus & Honorabilibus Decano & Capitulo eccleſiæ noſtræ, ante annos aliquot, religioſos viros Societatis Ieſu aſſumpſiſſemus ad inſtituendam in pietate ac diſciplinis variis iuuentutem, atque erudiendum populum noſtrum in fide Catholica, tandem eiſdem anno præſenti templum atque monaſterium Fratrum Minorum, ex conceſſione atque voluntate ſedis Apoſtolicæ, tradidimus cum omnibus attinentiis, atque per Nobiles ac Clariſſimos viros, Chriſtophorum Fabrum Cancellarium, & Henricum Hupp vtriuſque Iuris Doctores, atque noſtros Conſiliarios, in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem immitti atque induci curauimus, prout in inſtrumento datæ poſſeſſionis latius habetur. Ne autem prædicti religioſi Societatis Ieſu vnquam valeant moleſtari in poſſeſſione dicti monaſterii,*

rii, nos auctoritate ordinaria iniungimus omnibus Officiatis noſtris, tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, hiſce litteris, vt non permittant prædictos poſſeſſores a quocunque quomodolibet moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac ſedis Apoſtolicæ ordinationi, vnioni, ſuppreſſioni, extinctioni, & incorporationi huiuſmodi contradicentes, ac mandatis eiuſdem ſedis, ac noſtris non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, atque opportuna iuris & facti remedia, poſtpoſita omni appellatione, compeſcant: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Hoc enim nobis a ſede Apoſtolica iniunctum eſt, atque mandatum, etiam non obſtantibus priuilegiis ordinis Minoritarum, ordinationibusque Apoſtolicis quibuſcunque &c. Quare per quoſcunque iudices quauis auctoritate fungentes, ſecundum hoc iudicari, & definiri debere decernimus, irritumque declaramus & inane, ſi ſecus ſuper hiſce a quocunque quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. In quorum fidem præſentes noſtras litteras manu propria ſubſcripſimus, ac ſigilli noſtri appenſione fecimus communiri. Datum apud arcem S. Martini in ciuitate noſtra Moguntina die viceſima Iulii, anno Domini MDLXXVII. Atque has litteras magno cum Danielis zeli ac pietatis eulogio laudauit, ratasque habuit anno MDLXXXVII eius ſucceſſor Reuerendiſſimus Wolfgangus, prout, cum ad eum venero, infra forte notabitur. Edit. I pag. 933

CAPVT XI

Quanto amore Societatem eandem complexus Daniel?

ERga Societatem IESV quantus eius fuerit amor, e pluribus perſpicitur. *Primo*, quod eorum in religione tuenda & propaganda, in iuuentute inſtituenda, in omnibus, ægris & valentibus, opulentis & egentibus, aut eruditendis, aut aliter iuuandis opera valde gauderet. *Secundo*, quod eorum libenter præſentia vteretur. *Tertio*, quod multa in eos & magna beneficentiæ argumenta conferret non raro. *Quarto*, quod poſt explorata varia de ipſis mendacia, ne rumoribus quidem iis, qui de ipſorum vel viuendi vel docendi ratione ab hæreticis & maleuolis aſſidue cuderentur, hac illacque ſpargerentur, patefaciendas aures duceret.

Plurimis ab anno MDLXI, quo illi ad eum, eius vocatu venerunt, vſque ad MDLXXXII, quo ipſe in cælum, vt ſperamus, a DEO vocatus eſt, exemplis poſſent iſta monſtrari (eorum enim pleni ſunt domeſtici annales, breuiaria, & ephemerides) ſed paucula tantum & permodice innuam potius, quam exponam. Dum ad Maximiliani electionem & vnctionem, de qua capite IX antea, Francofurtum iret, voluit e Collegio Theologum & Eccleſiaſten ſecum habere; multumque cum Ferdinando Imperatore de Societate collocutus, multum ab eo in ſuo de hac iudicio confirmatus fuit, illumque ſimul, vt Colonienſe Collegium eius ampliſſimæ ciuitatis Conſulibus, & Archiepiſcopo commendaret, rogauit. Cum anno eodem ad Tridentinum Concilium P. *Ioan. Polancus* & Societatis ipſius Præpoſitus Generalis P. *Iacobus Laynez* e Gallia per Germaniam tenderent, dici vix poteſt, quanta præſentes ac abeuntes humanitate proſequutus ſit, quanta loquentes auiditate ac voluptate audierit. Nam liberali non contentus viatico, varias ad varios Principes iis dedit litteras, dicens, ad congreſſum ac de rebus perutilibus ſermones aditum iſtis aperiri. Ad Collegium, Moguntiæ cum eſſet, libenter veniebat, de ſociorum valetudine, de ſtudioſorum numero & profectu, de ſimilibus interrogabat, & cum forte anno MDLXIII orationem declamaret adoleſcens, eam totam benigne attenteque audiuit, & cum argumento, dictione, geſtu ac voce admodum eſſet delectatus, gratulabatur iuuentuti, & clara voce, vt porro ita proficiendo pergeret, hortabatur. Eodem anno, ter in hebdomade, toto quadrageſimali tempore Aſchaffenburgi a Theologo illo coram ſe aulaque ſua, & magno oppidanorum concurſu, conciones haberi voluit; poſt Paſcha vero, vt Francofurti etiam haberentur, conceſſit admodum poſtulanti reuerendo ac docto, pioque *S. Bartholomæi* Decano, D. *Io. Latomo*, adeo vt ſeſquiannum Societatis ibi miſſio, quæ anno MDLXVII * reuocata, fuerit. Eundem, vt in extremo vitæ tempore, 934

*ſ. 1564

matri

Edit. I matri adeſſet, eamque ad piam Chriſtianorum ſpem dirigeret, ablegauit, & vt
pag. in eius funere peroraret, petiit. Vt idem concionatum excurreret, paulloque interdum diutius moraretur, optimo Spirenſis eccleſiæ Cathedralis Decano tanto annuebat lubentius, quanto id ipſum ad Catholicæ religionis incolumitatem audiebat vtilius: eaque ratione dici quodammodo poteſt auctor non minimus excitati poſtea anno MDLXV Spirenſis Collegii, ſicuti etiam Fuldenſis, & Molshemenſis. Ad hæc enim cohortatus eſt Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Balthaſarum Abbatem Fuldenſem litteris anno MDLXXIV, & Reuerendiſſ. ac Illuſtriſſ. Epiſcopum Argentinenſem Ioannem, præſertim, cum anno MDLXXVI hunc ad Moguntini Collegii templum, & Balthaſarum perhonorifice duxiſſet. In ſua vero ditione, quia patet quam latiſſime, non Moguntino Collegio vno contentus fuit, ſed in Eysfeldia Heiligenſtadii alterum excitauit, vt ſubiungetur poſtea, & meditabatur Erfordiæ tertium, cuius tamen quoddam veluti ſemen iecit, quod nondum euulſum: ſed herbeſcit adhuc, & ſuo forſan tempore, vt
935 adoleſcat, vberemque in Domini horrea meſſem proferat, dabit Altiſſimus *.

* *Accedentibus liberaliſſimis legatis anno MDCI Miſſio tranſiit in Reſidentiam: aſſumptus etiam anno MDCIV Societatis habitus, cum antea ſub clericali Patres latuiſſent. Demum MDCVII conducta a clero Mariano domo, quæ ad iconem B. Virginis appellatur, accedente etiam anno MDCIX opima hereditate Denſtadiana, Electore* Ioannes Suicardus *anno MDCXV monaſterium Regularium deſertum a Canonicis adiecit: ſicque Reſidentia anno MDCXIX in Collegium Societatis euecta eſt.* Ita *Gudenus* hiſtoriæ Erfurtenſis lib. III § XXXII p. 243; qui etiam lib. IV § XXXV p. 332 huc facit.

In Metropolitana æde concionalem illam, quæ Archiepiſcopi propria eſt, cathedram noſtros aſcendere, ex eaque populum ſacroſanctam Catholicam fidem, Chriſtianoſque mores docere, ac ad eoſdem exhortari, prout etiamnum hodie fit, voluit anno MDLXXII. Anno Domini MDLXXIII grauem in morbum incidit. Aderat ei noctes & dies e Societate Pater. cumque, DEI gratia & beneficio, conualuiſſet, aſſidua Patris huius induſtria, ſociorumque precibus, e mortis quaſi faucibus ereptum ſe prædicabat: & exinde illum in aula ſua ſecum ſemper manere cupiit. Sed cum aulicæ id genus longæ ſtatæque commorationes Societatis hominibus, canone quodam, varias & iuſtas ob cauſſas vetitæ ſint, non potuit quidem tanto Societatis Mæcenati Præpoſitus Generalis omnino, quod rogabat, negare; rogauit tamen, vt commorationem illam dicto canoni nullo modo fraudi eſſe vellet. Eodem anno MDLXXIII morte Collegii Rectoris, quam in Romano itinere obierat †, audita, familiariter ſane illacrymauit.

† Fuit is *Lambertus Auer*, natione Germanus. Obiit autem Romæ IV Non. Mai. Ceteroqui primus fuit Collegii Moguntini anno MDLXI inſtituti Rector. Vid. auctor ſupra cap. VIII, & *Sotvvellus* biblioth. ſcriptorum S. I. p. 537.

Præter id, quod conſtitutum ab eo erat ſalarium, finem de Collegio bene merendi faciebat nullum, nouis, quæ bona ipſi ſuggerebat voluntas, donis in templum, penum, veſtiarium, lignile, bibliothecam. Sed in hanc perpetuum hoc & ſollenne, dum vixit, tenuit, vt quemadmodum anno primo cœperat, CC in librorum emptionem thaleros, interdum etiam plures, largiretur, ſtatimque præter viſitatam Cleri & Academiæ immunitatem, ſuorum teloniorum præfectis & quæſtoribus ſcripto mandauit, vt quidquid neceſſariarum huiuſcemodi rerum in Collegium inferretur, ab omni portorio & vectigali eſſet immune. Vt autem ſuæ huius beneficentiæ poſſet in eam, quam ad finem vſque dilexit, Societatem fons eſſe perpetuus, neque vna ſecum exareſceret, magnam ſupernumerariæ quaſi pecuniæ vim ſepoſuerat, e qua manat aduſque non parum.

Rumores vero, quos, vt ſupra iam attigi, contra eandem Societatem nunquam non fingit ac refingit aut hæreſis, aut maleuolentia, cum eorum aliquoties falſitatem ac inanitatem deprehendiſſet manifeſtiſſime, ad animum non admittebat vnquam, crebro ne ad aures quidem. præſertim cum ea de re a Pontifice *Pio IV* litteras accepiſſet, datas die XXX Decembris anno MDLXIV. Earum eſt hoc initium;

Venerabili Fratri noſtro DANIELI Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori. Edit. I p. 936

Venerabilis Frater noſter ſalutem, &c. Non ſine magna admiratione cognouimus libellos quoſdam maledictorum, probrorum & contumeliarum plenos nuper diſſeminatos per Germaniam fuiſſe ad odium infamiamque conflandam vniuerſo ordini Societatis Ieſu, & quibusdam ex ea, præcipue qui ſunt ceteris notiores. Sane id moleſte tulimus. Intelleximus enim, id antiqui hoſtis inſtinctu actum fuiſſe, vt quoniam ab eius Societatis Collegiis, quæ ſunt in Germania & aliis Prouinciis, magna & multiplex his miſeris temporibus ad eccleſiam Dei vtilitas peruenit, eorum bona opera per maleuolorum hominum obtrectationes & calumnias impediantur. De maximo igitur Danielis erga Societatem amore,

Hæc mihi dicta ſemel toties hærentia faſtis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar, erunt.

CAPVT XII

De negotiis publicis.

DIgnitas, quam in ſacro tenet Imperio Moguntinus Archiepiſcopus, multa & grauia ei negotia imponit. Eſt enim illius Elector & Archicancellarius, vt lib. I cap. XXIV & XXIX explicatum eſt. Hinc plurimæ ad eum cauſſiæ, curationesque pertinent, & eæ maxime, quæ ad Imperii Conuentus & Comitia pertinent. Decretum fuerat in Auguſtanis Comitiis anno MDLIX, vt Spiræ ad certa negotia quædam eſſet coitio anno MDLX. * & fuit Wormatiæ alia anno MDLXIV, iis per legatos adfuit: per ſe ipſum vero Auguſtanis Comitiis anno MDLXVII †, & Spirenſibus anno MDLXX; vbi, ob indulgentiarum promulgationem & ſacrarum confeſſionum auditionem, cum operariis pluribus opus eſſet, miſſi e Moguntino Collegio fuerunt ſubſidio non Germanicæ tantum, ſed & Gallicæ Germanicæque linguarum gnari. 937

* Scilicet, cum multa ſupereſſent capita, quæ in ſuperioribus Comitiis haud erant confecta, Cæſare, vt tandem explicarentur & acturarentur, inſtante, anno hoc MDLX duo Conuentus Spiræ habiti fuere; primus menſe Martio; alter Septembri & Octobri; ad quorum vtrumque Daniel miſit legatos: ad illum, *Henricum* de *Naſſau*, Canonicum Moguntinum, & *Chriſtophorum Matthiæ*, Cancellarium; ad iſtum, *VVolfgangum* Camerarium de Wormatia, dictum *de Dalberg*, & *Chriſtophorum*, quem modo dixi, *Matthiæ*; qui tum in priori, tum poſteriori ad propoſitionem a Cæſarianis die XXX Martii & X Octobris factam reſpondit.

† Lege MDLXVI. Ad ea Daniel die XXVI Februarii venit, & dein die XXII Aprilis in ædibus Fuggerianis, habitu indutus Electorali, regalia ac beneficia Imperii fide clientelari accepit.

Quum dein anno MDLXVIII Septembrium conuentus Fuldæ, ſub medium menſis Ianuarii, ad diſcutienda quædam Imperii ſalutem & dignitatem ſpectantia negotia, haberetur, ſimiliter adfuit per legatos; qui quidem tum erant *Ioannes Andreas Mosbach* de *Lindenfels*, Præpoſitus maior, *Simon Bagen*, ad D. Petri Canonicus, Vicecancellarius, *Ioannes Leonhardus Cotvviz* ab *Aulenbach*, diœceſi Hauſen id temporis Præfectus, & *Balthaſar Sax*, I. V. D. Conſiliarii.

Spiræ vero an. MDLXX, vt dictum, præſens fuit ipſe, atque in iſtis, quod haud prætereundum duco, Comitiis *Eliſabetham*, *Maximiliani II* filiam, *Carolo* Galliarum Regi in matrimonium deſponſam, per ἱερολογίαν ſacerdotalem eidem, *Ferdinando* Archiduce vices eius obeunte, deuinxit.

Sic enim *Languetus* lib. I parte I epiſt. XCI p. 167 & ſeq. *Die ſolis circa horam tertiam a meridie celebrata ſunt ſponſalia Regis Galliæ in ſumma templo huius vrbis. Imperatoris concionator habuit latinam orationem de laudibus coniugii. Poſtea lectum eſt Inſtrumentum procuratorium miſſum a Rege Galliæ Archiduci Ferdinando. Deinde facta eſt deſponſatio per Archiepiſcopum Moguntinum. Facta deſponſatione cecinerunt*, Te Deum laudamus. *Secutæ ſunt veſpertinæ preces; quibus finitis itum eſt in eum locum, vbi fuit cœnandum. — Omnes Principes adfuerunt Imperatori in cœna. Menſa fuit oblonga & angusta. Suprema parte ſedebant Imperator & Imperatrix: in latere menſæ, quod erat dextrum, Imperatori primo loco erat* Moguntinus, *cui aſſidebat* Colonienſis. *Sub* Colonienſi *ſedebat* Legatus Gallicus, *ita tamen, vt eſſet intermedius ſtructor. Legato Gallico aſſidebat Dux* Ioannes Guilielmus, *cui adſtabat alius ſtructor. Sequebantur* Spirenſis & Argentinenſis *Epiſcopi. Poſtea ſtabat tertius ſtructor, quem ſequebantur Dux* Caſimirus & Georgius *Landgrauius. In altero latere menſæ Archidux* Ferdinandus *ſedebat ſupremo loco, cui* Regina Galliæ *aſſidebat. Sequebantur* Palatinus Elector, *eius* Coniux, Magiſter Teutonici Ordinis, *vxor Ducis* Ioannis Guilielmi, Georgius Ioannes, *Comes Palatinus, Illuſtriſſima filia veſtræ Celſitudin.* (Electoris Saxoniæ) Dux Mecklenburgenſis, *vxor* Georgii Ioannis *Palatini*, Carolus *Marchio Badenſis*, & Palatini Electoris *filia nondum nupta. In extremitate menſæ e regione Imperatoris & Imperatricis ſedebant* Chriſtophorus *Palatinus*, & *Dux* Areſcotus.

Ad

Edit. I p. 937

Ad Francofurtenſem vero conuentum anno MDLXXI legatos miſit.

Cum fœderati Turcis ad Naupactum, hodie *Lepanto*, prælio nauali inſignem intuliſſent eladem, Rex Hiſpaniæ apud Cæſarem inſtitit, velit rem eo deducere, vt Ordines Imperii fœderi contra iſtos percuſſo accederent. Quod cum Maximilianus Danieli an. MDLXXII per *Philippum* L. B. *de* Winnenburg, conſilii Imperialis aulici Præſidem, & *Ioannem Hagenmüller*, I. V. D. & eiusdem Aſſeſſorem, expoſuiſſet, is Principibus Electoribus, quibuscum Cæſaris petitum communicabat, conuentum indixit, Mülhuſæ ad d. XIV Iul. agendum; quem etiam per legatos obiere. Cæſaris nomine affuere, quem modo dixi, *Baro* de *VVinnenburg*, *Lazarus* de *Schvvendi*, & *Timotheus Iung*, Conſiliarius Imperialis aulicus; Danielis, *VVolfgangus* de *Dalberg*, *Antonius* de *VViltperg*, *Caſpar* de *Berlips*, *Melchior* de *Breidenbach*, & *Ioannes Thomas Eiſenberger* I. V. D. Treuirenſis, *Adolfus Schilling* de *Lanſtein*, & *Conradus Reck*, I. V. L. Colonienſis, *Franciſcus Burchard*, Cancellarius, & *VVilhelmus* de *Breitbach* in *Burresheim*; Palatini, *Nicolaus Schenck* de *Schvveinsburg*, & *Gerhardus Paſtoir* I. V. D. Saxonis, *Ioannes* de *Bernſtein*, *Ericus Volckmarus* de *Berlips*, & *Laurentius Lindemann* de *Sedeliz*, I. V. D. Brandenburgenſis, *Martinus* Comes *de* Hoenſtein, & *Andreas Zoch*. Cæſarianorum propoſitione die XXII Iulii audita, inſtitutæ deliberationes; concluſum die XXVI dicti menſis, cum negotium hoc maxime arduum ſit, Electores in ſe ſolos id ſuscipere haud poſſe.

Ad Ratiſponenſia, quæ anno MDLXXV habita, ipſus profectus eſt, vti repetetur cap. XVI (*l. XV*)

Ea, quæ ibidem anno ſequenti MDLXXVI habebantur, obiit per legatos, *VVolfgangum* de *Dalberg*, Præpoſitum, *Chriſtophorum* de *Graenrod*, Canonicum Moguntinum, *Chriſtophorum Fabrum*, Cancellarium, *Philippum* de *Bicken*, aulæ Mareſchallum, *Hartmudum* de *Cronberg* medium, & *Ioannem* de *Born*, Conſiliarios.

Ad Conuentum Delegatorum Imperii (*Reichs-Deputations-tag*) anno ſecuto Francofurti habitum, ſimiliter legatos miſit *VVolfgangum* de *Dalberg*, modo dictum, *Chriſtophorum Fabrum*, *VVolfgangum Riedeſel* de *Bellersheim*, Præfectum Orbenſem & Huſenſem, & *Ioannem* de *Born*, Conſiliarium.

Ad ea, quæ Auguſtam an. MDLXXXII indicta erant, venire conſtituerat ipſe; id enim enixe deſiderabat Imperator Rudolfus. Sed antequam ea inchoarentur, diem clauſit extremum.

CAPVT XIII

Quomodo Poloniæ Regem Henricum acceperit.

Sigiſmundus Poloniæ Rex e Iagellonia gente vltimus, ab regum Rege hinc euocatus fuit anno MDLXXII, die XVIII Auguſti. Eius ſceptrum detulerunt Polonica Comitia *Henrico* Gallo, Andium Duci, *Caroli* Francorum Regis VIII fratri, ad eumque miſſus Poſnanienſis Epiſcopus, aliique complures honoratiſſimi legati †. Venerunt hi ad eum in caſtra, quando munitiſſimam Caluinianorum vrbem Rupellam obſidebat. Ille vero legatis auditis, paceque cum hoſtibus inita, per Germaniam in Poloniam iter habuit. Moguntiam Heidelberga venientem magno cum Comitum, Baronum, nobiliumque virorum numero, multo cum Moguntinorum ciuium & aliunde vocatorum agmine, ad Rhenum excepit, in arcemque ſuam deduxit Daniel. Magnificentiæ nihil defuit, vt admirarentur & Galli & Poloni. Sed inprimis delectabatur Rex inclita Galliæ Regum Carolomannorum & Carolûm Magnorum memoria, quæ ob S. Bonifacium, & eccleſiæ Moguntinæ opulentiam hic intermori nunquam aut poteſt, aut debet. Et in abitu pretioſam illam Archiepiſcopo crucem donaſſe Rex ille dicitur, cuius in *Ioanne Adamo* aliqua incidet mentio *.

Cæſaris rogatu Electores legatos mittunt Varſauiam ad commendandum Erneſtum Archiducem.

Cum plura ſint, quæ huc afferri mereantur, potiora breuiter perſtringemus. Nempe, cum mortuus eſſet Rex *Sigiſmundus Auguſtus*, Cæſar Maximilianus regnum Poloniæ ambiit pro vno filiorum ſuorum, ſigillatim *Erneſto*. Cum autem iudicaret, magnum negotio pondus allatum iri, ſi Principes Electores legatos ad Ordines regni Poloniæ mitterent, ac Erneſtum commendarent, eos, vt id facerent, litteris d. XXII Februar. an. MDLXXIII datis rogauit. Quibus acceptis cum annuiſſent, e ſuis quosdam delegarunt; Daniel, *Melchiorem* de *Breidenbach*, Vicedominum Erfurtenſem, & *Georgium Oland*, I. V. D. Conſiliarium; Treuirenſis, *Ioannem Zand* de *Merle*; Colonienſis, *Hermannum* de *Hazfeld*; Palatinus, *Ioannem Philippum Landſchad*; Saxo, *Ioannem* de *Lindenavv* & *Vitum Oertel*, I. V. D. Brandenburgenſis, *Leuinum* de *Schulenburg* & *Detleuum* de *VVinterfeld*. Qui deliberatione prius Erfurti habita in Poloniam conceſſere. Varſauiam cum veniſſent, nomine Collegii orationem ad Proceres regni die XIII Aprilis in conſeſſu ampliſſimo habuit *Georgius Oland*; *qui audiuntur.*

qua audita, reſponſum; rem maxime omnium dependere a manu Dei; ideo ſe Principibus Electoribus nil definite reſpondere poſſe; id interim ſe polliceri, futurum Regem Imperii Romano-Germanici ſemper fore amicum.

Henrico Andegauenſi electo,

† *Henrico* dein Andegavenſi peruigilio Pentecoſtes electo & proclamato, reuerterunt; a Polonis vero miſſi, qui regnum ei deferrent, Legati, *Adamus Conarsky* de *Lobilinio*, Epiſcopus Poſnanienſis, nomine regni Poloniæ, & *Ioannes* de *Thomize*, Caſtellanus Gneſnenſis, nomine magni Ducatus Lithuaniæ; ex quibus auctorem, qui *complures honoratiſſimos legatos* ad Henricum miſſos dicit, interpreteris.

de tranſitu eidem concedendo Electores deliberant.

Cæſar autem interea ex Electoribus quærebat, vtrum Henrico liber per Imperii fines commeatus deberet concedi? Qui proinde Francofurtum legatos miſere, hac de re conſulturos. Daniel quidem *Georgium* de *Schönenburg* Decanum, *Hartmudum* de *Cronberg*, ſeniorem, aulæ Præfectum, *Sebaſtianum Echter*, *Philippum VVolffium* de *Roſenbach*, & *Georgium Oland*, Conſiliarios; Treuirenſis, *Ioannem* de *Schönenburg*, Præpoſitum Treuirenſem, & *Ioannem Zand* de *Merle*; Colonienſis, *Damianum VVolff* de *Metternich*; Palatinus, *Ioannem Philippum Landſchad* de *Steinach*, & *Gerhardum Paſtoir*; Saxo, *Ericum Volckmarum* de *Berlips*, & *Laurentium Lindemann*; Brandenburgenſis, *Georgium* de *Blanckenburg*, & *Lambertum Diſtelmeyer*; quibus adfuere *Ludouicus*, Comes *de* Löwenſtein, & *Ioannes Hagenmüller*, Conſiliarius Imperialis aulicus, miſſi a Cæſare. Habita deliberatione matura, viſum, ob vicinitatis ius, pluresque cauſſas alias ei haud denegandam eſſe liberam per Imperii fines tranſeundi facultatem; modo ſub ingreſſum rite caueat, ſe ſuosque ſine iniuria maleficioque, perſoluto itidem vbique commeatu, pacifice & amice tranſiturum: deinde, ne præter famulitium ſuum vllum ſecum adducat militem; quod ſi vero, præter ſuos, alios etiam itineris comites ſibi velit adiungere, id curet, ne vniuerſus comitatus DCCC homines vel equos excedat *; ex his ipſe CCCC aut ad ſummum D ſecum habeat; ceteri turmatim, alteri alteros, per binos dies, quo commeatus omnibus recte ſubminiſtrari poſſit, ſubſequantur.

Quibus conditionibus ſe ſtaturum *Henricus* poſtea reſpondit, *Carolo*, Duce Lotharingiæ, fideiuſſore conſtituto. Litteras ad Danielem, quibus id promittit, ſic finiit; *Quas & ſubſcripſimus, & iis ſigillum Andegavenſe, quo hactenus vſi ſumus, apponi iuſſimus. Dat. Pariſiis in palatio noſtro Andegavenſi die XX menſis Septembris MDLXXIII.*

* *Poſtea tamen, cum numerus hic ei nimis paruus videretur, petiit ab Imperatore, aliisque, vt ad eum adhue quadringenti adderentur. vid.* Languetus *parte I epiſtol. lib. I ep. CXII p.* 206. *Mille ſane, centum & viginti octo equos ſuo in comitatu, cum Moguntiam veniret, habuit.*

Aduenienti Danielmultum honoris exhibet.

Aduenientem dein Daniel die XV Decembr. ſollemni occurſu magnifice excepit, vt vel ipſe notat auctor, & per integrum biduum exquiſito honorum omnium atque officiorum genere proſecutus eſt. Non autem ad Rhenum eundem excepit, vt idem hic narrat, ſed in campo, & per portam, per quam in tractum, qui *Gauia* dici ſolet, in arcem deduxit. Edit. I p. 937

Pari, quod adiicere iuuabit, ſplendore eundem accepit *Wilhelmus* Haſſiæ Landgrauius; cum contra *Henricus* nec adeo lecto turmarum robore ſtipatus, nec eo comitatus, rerumque ceterarum apparatu, vt tantum decuiſſet Principem, inſtructus eſſet. Diſcas id ex his *Wilhelmi* litteris Rotenburgo die XXXI Decembr. ad Danielem ſcriptis: *Es fuhrt die Konigl. Wurde mit ſich ein groſs, aber warlich zu roſs gahr ein vnordentliches geſundlein, vnd ziehen daher im feld, einer hier, der ander dort, in allerley farben vnd kleidungen, auff pferdlein, deren eins kaum 10 gulden werth, vnd auff eſeln, vnd iämmerlichen kutſchen, daſs ſolcher zug fur einen ſo gewaltigen Konig gegen Teutſchen gebrauch ein ſeltſamb anſehens hatt. Wihr ſeinth ihme mit 600 pferden entgegen gezogen —— Ihre Konigl. Wurden hatte im feld bei ſieh nit über 200 pferd, die mit derſelben ingezogen, vnd wan einer hundert Teutſcher pferd hett, mögt ſchier den gantzen hauffen damit ſchlagen, ſo ubel ſeinth ſie zu feld ſtaffirt —— Es iſt ſonſt wenig geprengs bey dem König, halt ſieh demutig, redet mit meniglich, auch ſonderlich wan er uber dem eſſen ſizt, legen ſich die Franzoſen ſchier gahr vff den loib, halten mit ihm ein groſs immerwehrend geſchwez, alſo, daſs er kaum eſſen kan, vnd haben in warheit die Franzöſiſche mores gegen Teutſchen brauch ein lecherliches anſehen* &c.

* Vbi vero in *Ioanne Adamo* de pretioſa illa cruce, quam Danieli *Henricus* donaſſe dicitur, mentionem iniecerit auctor, fruſtra quæſiueris.

inter hæc cum Wilhelmo Haſſo tranſigit.

Cum inter hæc anno MDLXXI *Dietericus*, Dynaſta Pleſſenſis, gentis ſuæ vltimus, die XXII Maii viuis exceſſiſſet, nonnihil contentionis habuit *Daniel* cum *VVilhelmo*, Landgrauio Haſſiæ. Cauſſa erat aduocatio monaſterii *Steina*. Hanc enim intermortuis clientibus feudi lege ad eccleſiam Moguntinam, vnde exierit, cum omni iure rediiſſe, contendebat *Daniel*; *VVilhelmus* vero in dubium vocabat, perhibens, clauſtrum ante iam Pleſſenſibus certo modo obnoxium fuiſſe, quam aduocationem illius ſub lege beneficiaria conſecuti eſſent. Tandem anno LXXII hac de re cum eo, Lunæ poſt Ioannis Baptiſtæ memoriam, transegit. Modus erat hic. Steina monaſterium, aduocatio item, tanquam feudum caducum, vna cum omni iure cedat Archiepiſcopo: decimæ in tractu vici *Boventhen*, Pleſſenſibus a Sede Moguntinenſi iure clientelari olim conceſſæ, bonaque nonnulla alia ſint Wilhelmi. Conf. *Meierus* origin. & antiquit. Pleſſenſium parte I cap. V § IV p. 84.

Erneſtum Archiducem denuo ipſe & ceteri Electores Poloniæ commendant.

Henrico Rege poſtea clam e Polonia ad gubernacula regni Gallici capeſſenda digreſſo, & dein a Proceribus Polonis excluſo, Cæſar denuo Electores Ratisbonæ rogabat, vt *Erneſtum* de meliori illis commendarent nota. Qui, ne voluntati eius deeſſent, nomine Collegii Septemuiralis Varſauiam miſere *VVolfgangum* ab *Iſenburg*, Comitem *de* Büdingen, & *Hartmudum* de *Cronberg*, medium, Conſiliarium Moguntinum; qui dein extra vrbem a Caſtellano Caſilienſi & Palanicenſi die XV Nouembr. an. MDLXXV in Senatum deducti, & in magna Nobilitatis Polonicæ frequentia auditi fuere.

CAPVT

Edit. I pag.

CAPVT XIV

Quomodo Eisfeldiam lustrarit, plurimumque ipsi profuerit.

938 EIsfeldia Moguntinæ diœcesis ditio, de qua lib. III not. XX, frumenti feracissima est; ab Archiepiscopis lustrata diu non erat. Hæreseon in ea sentes excreuerant, zizaniaque: Catholicorum spicæ admodum raræ: siluescebat ager totus inscitia, nouarumque opinionum sentibus. Non deerat e nobilitate *Bartholomæus Wencierodus*, Lutheranus, cuius in quamplurimos nobilitata erat cædibus, latrociniis, variisque sceleribus crudelitas. Multæ illinc & graues assidue afferebantur querelæ. Tolli malum vix posse videbatur, nisi magno cum comitatu, boniſque viribus ipse adesset Archiepiscopus. Vt ouium igitur suarum, qua ecclesiasticus, qua politicus Princeps, incolumitatem & salutem procuraret, illuc se maximo cum sumptu, in viam dedit; sed ne ferreo magis gladio & bombarda, quam spiritu & lenitate armaretur, aliquot secum e Societate, qui catechesibus & concionibus rudem vel ab hæresibus reuocarent, vel in auita fide confirmarent populum, sacerdotes duxit. Et eo statim anno datum ei, quod illic modo est, & nouis nuper prælectionibus ab Reuerendissimo *Ioanne Adamo* auctum fuit, Collegio Heiligenstadiano principium. Ipse vero Reuerendissimus cum alia in vrbibus, arcibus, & vicis plurima resarsit, tum vero non contemnendam portionem ditionis, quæ oppignerata fuerat, redemit, in qua *Horpergensis* & *Statvvirbsana* quæsturæ. Illum vero vt genere, sic & facinoribus multis nobilem *Wencierodum* cepit, Moguntiamque abduci curauit. Vbi tandem, post ferias & vehementes multas accusationes, & infirmas defensiones, capite in foro publice plexus. Post reditum vero suum, multa, quæ illinc ipsemet coram notarat, corrigenda, missis legatis, curauit: multos perditæ vitæ apostatas monachos e parochiis, in quas irrepserant, amouit: pluresque multo hæreticos Prædicantes.

CAPVT XV

Quomodo Cæsarem hodiernum Rodolphum vnxerit, & coronarit.

FVerunt anno MDLXXV Augustæ * Comitia. In iis cum de aliis, tum de nouo Romanorum Rege deliberatio habita. Electus Danielis, aliorumque
939 Septemuirum vocibus *Rodolphus II*, Imperatoris Maximiliani II filius primogenitus. Non multo ante in Bohemicis Comitiis fuerat hoc eodem anno Casurgii declaratus Bohemiæ Rex, nunc vero Augustæ Romanorum Rex: & post electionem, statim a Daniele magna cæremonia, quæ cap. IX satis explicata, regio vnguento delibutus, sceptro & corona ornatus, inspectante & gaudente Patre; qui anno secuto in Comitiis Ratisponensibus Nouembri mense * moriens, Regi nouo imperiales tradidit habenas.

* Duplex hic error auctori obrepsit. Primum, dum loco *Ratisbonæ*, quam in animo habuit, scripsit; *Fuerunt anno MDLXXV Augustæ comitia.* Dein, dum Maximilianum anno sequenti *mense Nouembri* vita defunctum refert. Die namque mensis Octobris XII, circa horam nonam matutinam, viuis illum excessisse notum. Vid. *Thuanus* lib LXII p. 134, *Polheim* in oratione parentali eidem Rostochii habita, quam *Chytræus* lib. XXIII Saxoniæ inseruit, sub finem, *Languetus* parte II epistol. lib. I ep. XCIII p. 240.

Rudolfo συμπαθεῖ

De cetero, cum Rudolfus misso Aschaffenburgum *Gabriele Strein*, Dynasta Schwarzenauiensi, patris mortem significasset, Daniel per *Hartmudum* de *Cronberg*, medium, Linciam deleg atum, suam illi testatus *συμπάθειαν* est.

ad funus Maximilia.

Anno dein sequenti ad cohonestandas inuitatus exsequias, Pragam misit, qui funus prosequerentur, *VVolfgangum* a *Dalberg*, summæ ædis Præpositum, *Hartmudum*, quem modo dixi, *de Cronberg*, & *Melchiorem* de *Breidenbach*, Vicedominum Erfurtensem; e quibus *VVolfgangus*, cum id die XXII Martii e cœnobio, quod in veteri vrbe D. Iacobo dicatum est, in ædium maximam deduceretur, Septemuiro Colonienſi a dextris, vti Treuirensis a sinistris, incessit; in basilica vero proximo ab Imperatore consedit loco.

ni cohonestandum legatos mittit.

Quarto post die per eosdem Daniel iura regalia, beneficiaque Imperii a Rudolfo requisiuit, moreque sollemni sub lege clientelari consecutus est.

regalia ab Rudolfo accipit.

Postero, qui post Virginis partum MDLXXVII fuit, Tribunalis Spirensis decreto designatus est, qui controuersiam *Margaretam* de *Columna* inter ac *Elisabetham* Brunsuicensem (quarum hanc pater *Iulius*, Dux Brunsui-

litem inter Antiabbatissas Gandersheimenses dicidit.

ſuicenſis, parthenoni Gandersheimenſi manu forti obtruſerat Antiſtitam, illam Veſtales *Magdalenæ* nuper defunctæ communibus ſuffragiis ſurrogarant) diſcuteret; quam etiam, Iudicibus quibusdam delegatis, & cognouit, & decidit. *Leuckfeldius* antiquitat. Gandersheimenſ. cap. XXII § XXXVII p. 264, & in addendis n. XIV p. 463 & ſeq. Edit. I p. 939

CAPVT XVI

Archiepiſcopatus opes ac dominium quantopere auxerit.

IN paruulo Cl. V. piæque memoriæ, *D. Philippi Wolfgangi a Roſenbach*, Moguntini Cancellarii, de Moguntinis Epiſcopis commentariolo aut indiculo potius, ita ſcribitur: *Multa oppida, territoriaque oppignorata magno pretio redemit, & diœceſi adiecit Daniel.* Quin vero & inſignes Comitatus duos adiunxit, *Rieneccanum*, qui & ab oppido præcipuo Lohra, *Lohrenſis* vocatur; & *Regiſaxeum*, ſeu *Königſteinianum.* Nam in vtroque ipſa Comitum ſtirps emortua fuerat: &, caduci beneficii, ſeu feudi iure, prior quidem ad Archiepiſcopum, poſterior ad Cæſarem ſpectabat. Sed ſuum hoc beneficium ſeu feudum in eccleſiam contulit Moguntinam Cæſar, cum benigne prius eo Stolbergenſium Comitum fratres duos potiri voluiſſet. Mortui vero iſti ſunt, liberoſque nullos reliquerunt: ſicque anno Domini MDLXXXI, menſe Auguſto, Königſteinianam arcem, & quæ Cæſarei beneficii erant, omnia poſſidere cœpit Moguntina eccleſia. Lohram vero, ceterumque Rieneccenſem Comitatum eodem quidem exeunte Auguſto menſe, ſed anno MDLXXIV * iniit Daniel, cum ex Eichsfeldia Moguntiam reuertiſſet menſis eius die V; Aſchaffenburgum iiſſet die XVI; Lohram die XXIX.

* 1) *Rieneccenſem* Comitatum *Daniel* non anno demum MDLXXIV, ſed anno iam MDLIX, quo die menſis Septembris tertio Comitum Rieneccenſium vltimus Philippus mortem obiit, feudi lege ſui iuris fecit. Quippe percepto illius obitu ſtatim Lohram miſit, qui populum in fidem reciperent, *Eberhardum Rud* de *Collenberg*, aulæ ſuæ Præfectum, *Ioannem Leonhardum Cotvviz* ab *Aulenbach*, Mareſchallum, *Petrum Echter*, Satrapam Diepurgenſem, nec non *Simonem Bagen*, Secretarium; poſt eos vero *Ioannem Fock* de *VValſtatt*, maioris Moguntinæ Scholaſticum, & *Ioannem Ogier Brendel* ab *Homburg*, Præfectum Eichsfeldiæ; qui dein iunctim d. XI, XII, & XIII menſis dicti ciues populumque obſequii religione Hero deuinxerunt. Die poſtea menſis Octobris tertio ipſe Lohram venit, ac oppidanos ſine mora iureiurando in ſua verba adegit: poſtridie vero in poſſeſſionem arcis pedem poſuit, ac die ſequenti Protſeldæ & Rieneccæ; ſexta vero Framersbaci de more ſacramentum a populo accepit.

2) *Königſteinenſem* diœceſi Moguntinæ adiecit anno, quem auctor, dixit, MDLXXXI. Iuuabit autem, iis, quæ attulit, hoc curatius intelligendis, rem altius paullo repetere, deducereque. Fuit ſcilicet caſtrum *Königſtein*, vna cum locis contributis, olim in peculio *Comitum* de *Nuringes*, Wetterauicos inter perquam celebrium; quorum familia ſub primordia ſæculi XIII exſtincta, peruenit ad *Dominos* de *Münzenberg*; ſed & his ſub annum MCCLV ſuam finientibus ſtirpem, ad *Dominos* de *Falckenſtein*; ab his vero, familiæ vltimo, *VVernhero*, Archiepiſcopo Treuirenſi, an. MCCCCXVIII in Libitinæ cenſum redacto, cum *Lucarde* Falckenſteinia, *Eberhardi* Eppenſteinii vxore, ad gentem *Dominorum* de *Eppenſtein*; cui etiam paruit ad annum vſque MDXXXV, quo *Eberhardus*, *Philippi* filius, familiæ Eppenſteiniæ poſtremus, naturæ conceſſit. Fratrem is habebat *Georgium*; cum quo anno MDXXI, in Comitiis Vormatienſibus, die menſis Maii IX, ab Imperatore Carolo V impetrauit, ſi quidem ſine heredibus maſculis decederent, vt filiæ, ſi quas haberent, filiabus vero ſimiliter deficientibus, in bonis ſuis, quæ ab Imperii penderent tutela, ſororis *Annæ* filii ſuccederent. E quibus etiam *Eberhardus*, fratre *Georgio* anno MDXXVII in cælibatu fatis functo, die menſis Iulii tertio *Ludouicum* Comitem Stolbergenſem, dictæ ſororis ſuæ *Annæ* e *Bothone* Comite Stolbergenſi filium natu tertium, eoque ſine maſculis decedente, fratrem ipſius *Philippum*, inter filios *Annæ* naſcendi ordine quintum, & ſi caſus ita ferret, vt & is ſine filiis vita defungeretur, *Chriſtophorum*, filium *Annæ* vltimo genitum, vel illius heredes maſculos, e thoro legitimo ipſi natos, heredes ſcripſit & inſtituit. E quibus etiam *Ludouicus*, auunculo anno MDXXXV morte intercepto, Comitatum hunc adiit, & quum anno MDLXXIV ſine liberis maſculis mortem oppeteret, ad fratrem *Chriſtophorum* (*Philippus* enim iam dudum obierat) dimiſit; qui eundem dein tenuit ad annum vſque MDLXXXI.

Cum autem inter hæc Archiepiſcopus & Elector *Daniel* a Cæſare Maximiliano II, tabulis anno MDLXXV die I menſis Martii ſignatis, ius ſucceſſionis in Comitatum hunc obtinuiſſet, ſi *Chriſtophoro* Stolbergenſi ſine liberis maſculis decedente, is tanquam feudum ſiue beneficium ad Imperium, vnde exierat, rediret; poſtea anno MDLXXXI, quo *Chriſtophorus* ἄγαμος ſpiritum depoſuit, vi commiſſionis ſiue negotii a Cæſare Rudolfo II ſibi,

Edit. I pag. bi, per litteras Pragæ die III menſis Auguſti datas, demandati, poſſeſſionem ſæpius memorati Comitatus per *Hartmudum* de *Cronberg*, ſeniorem, aulæ Magiſtrum, *Chriſtophorum Fabrum*, Cancellarium, *Ioannem Fridericum Mosbach* de *Lindenfels*, *Philippum* de *Bicken*, *Caſparem* ab *Elz*, & *Ioannem Erhardum Hettinger*, Conſiliarios, quos hac fini delegarat, cepit, ac deinceps ab eo Pragæ die XXVII Octobris fide rituque clientelari conſecutus eſt.

Controuerſia dein poſſeſſori a *Georgio Alberto*, Comite Stolbergenſi, *Ludouici* ac *Chriſtophori* fratre, mota & aliquot annos in iudicio pendente, *VVolfgangus*, Danielis ſucceſſor, cum *VVolfgango Erneſto*, *Ioanne*, *Henrico*, *Ludouico Georgio*, & *Chriſtophoro*, Comitibus Stolbergenſibus, qui litem, *Georgio Alberto* interea temporis defuncto, proſequebantur, & inaugurationem beneficiariam a Daniele obtentam nullius valoris eſſe contendebant, anno MDXC, die menſis Februarii tertio tranſegit, ſumma ter centum millium florenorum, tribus penſionibus æquis exſoluendorum, eisdem addicta: quam tamen conuentionem Stolbergenſes poſtea, vti notum, impugnauere; quin etiamnum id faciunt, & in Comitatum hunc ius ſucceſſionis ſibi competere perhibent. Conf. *Spenerus* op. Heraldici parte ſpeciali lib. III cap. LI § III & IV p. 766 & ſeq. *Imhof* notit. Procerum Imperii lib. VI cap. XVII § III & IV, *Schvvederus* theatr. prætenſionum & controuerſiarum illuſtrium lib. VI ſect. XXIX cap. II p. 884 & ſeq. quorum quidem hunc ex hiſce cum ſuppleas tum emendes.

940

CAPVT XVII

Quomodo annos tot, ne Moguntina pacis rota verteretur, cauerit.

FVit pacis Princeps peramans, & cum periculoſiſſima eſſent tempora, & modo in Galliam, modo in Belgium variæ a ſectarum ſectatoribus copiæ mitterentur, id tamen operam ſemper dedit, vt ſuos in pace ſubditos tueretur. Cumque ob Comitatus, de quibus paullo ante, motuum neſcio quid imminere videretur, ſic tamen animi magnitudine conſtitit, æquitate pugnauit, manſuetudine iratorum quorundam animos pacauit, conſilio & induſtria omnes omnium molitiones diſturbauit, vt in iuſta debitaque poſſeſſione metropolitanus Moguntinorum Archiepiſcopatus etiamnum maneat. Et vero hanc ſummam ab omnibus, etiam mortuus, tulit laudem, tributa & exactiones nouas nullas impoſuiſſe: nemini re vlla, quæ quidem conſtet, grauem aut moleſtum fuiſſe.

CAPVT XVIII

Principalia eius ædificia.

CAtatus antea Domini *Roſenbach* indiculus, *Collapſa*, inquit, *ædificia*, *exuſtasque arces reædificauit* Daniel. Sed omnium maxime ac ſumptuoſiſſime Moguntinam S. MARTINI arcem vna cum attigua Cancellaria, & templo; quod ſiue materiam ſiue formam & artem ſpectes, pulcherrimum eſt. Sed de hoc iam lib. I cap. XXXI, lib. II cap. VII, lib. III notatione II e poſterioribus.

941

CAPVT XIX

De corporis modeſtia.

TOtus ad modeſtiam & morum maturitatem Archiepiſcopo dignam erat compoſitus: veſtitus ſacerdotalis, non inſolens, neque faſtuoſus, quem non in eccleſaſticis modo, ſed & in legum lytis aut prolytis improbabat, adeo vt interdum diceret, videri quoſdam aut militibus, aut ſartoribus ſimiliores, quam iuris ſacerdotibus. Barbam, veteri Germanici Cleri more, radebat: longiorem capillum orbiculatim tonſum alebat: ab omni vana oſtentatione, vanaque gloria tam alienus, vt ne ſui quidem vultus effigiem fingi aut pingi libens admitteret. adeo, vt quam in bibliotheca noſtra eius imaginem habemus, eam, noſtrum quibuſdam enitentibus, furtim expinxerit artifex, dum, quæ in arce a ſcholaſtica iuuentute dabatur, comœdiam quandam ſpectaret.

Edit. I pag.

CAPVT XX

De precum ſtudio.

PRECES, quæ Canonicæ vocantur, precabatur ſingulis diebus quam ſtudioſiſſime. ita vt nulla tanta occupationum poſſet ei moles incumbere, non tot Domini & Principes ad eum ventitare, quin quotidianum eccleſiaſticæ precationis penſum illud exſolueret. Gloriatur in locis ſuis, Lutheri Medicus *Manlius*, ſe Clerico cuidam, qui bene mane in aurora, vt matutinas preces oraret, e lecto ſurgebat, perſuaſiſſe, vt ſomno indulgeret diutius: non ſe diligentia tanta fatigaret: DEO fieri ſatis, ſi vel quinquies orationem recitaret Dominicam. Magnus nimirum hic orator, & Lutheri ſchola digniſſimus, qui rem adeo carni moleſtam & difficilem, quam pigris quotidie ſtudioſis perſuadet pigritia, ignauo perſuadere Clerico potuit. Nunquam hunc audiuiſſet Daniel: inſidioſam & fallacem iudicaſſet medicinam, quæ reſidi noſtræ adeo indulget carni, vt ab officio auocet. Morem hunc is tenebat, vt hora ſtatim quarta matutina, vel non multo poſt ſurgeret: antelucanas preces diceret: ad audiendum ſe ſacrum conferret, in eo ceteras oraret antemeridianas, ſub veſperum 942
veſpertinas, & completorium. Accidit vero quodam tempore, vt in Comitiis quibuſdam veſperi ab Cæſare diu retineretur, ita vt in multam noctem ſermo, qui de grauiſſimis ac vtiliſſimis rebus erat, productus fuerit. Dimiſſus tandem, redit cum funalibus in illud, vbi diuerſabatur, palatium. Sacellanus, quicum orare ſolebat, de Archiepiſcopi reditu deſperans, ſuas ipſe veſperas orarat, & alto iam ſomno conſopitus dormiebat. Rei, horæque neſcius bonus Domini Sacerdos e ſomno illum excitat. Orare incipit, vixque preces finierat, & horam noctis duodecimam, vel, vt alius, multis audientibus, publice publico in loco retulit, primam poſt noctis medium ſonuit horologium. Tanta eius erga DEVM erat religio, tanta eccleſiaſticorum rituum obſeruantia, vt neque propter intermiſſam, caſu etiam, precandi horam, obliuiſci precum potuerit: neque propter occupationum magnitudinem, ſeræ noctis intempeſtiuum, dilati ſomni, quietisque neceſſitatem, ab illis excuſari voluerit. Ipſo ſane, quo ex hoc mundo abiit, die, priſtinam conſuetudinem adhuc tenuit in iiſdem precibus.

CAPVT XXI

De quibuſdam eius in precario libello deſcriptis gnomis, aut ſymbolis.

IN precario ſuo libello, vt in memoriam ſibi vtilia quædam bene viuendi nonita crebro redigeret, ſua ipſius manu gnomas aut ſymbola ſcripſerat.

1 VITA BREVIS.
2 FORMA DECIPIENS.
3 PECVNIAE FLVXAE.
4 IMPERIVM INVISVM.
5 BELLVM PERNICIOSVM.
6 VICTORIA ANCEPS.
7 CONCORDIA FALLAX.
8 SENECTVS MISERA.
9 MORS, FELICITAS.
10 SAPIENTIAE FAMA PERENNIS.

Iſta vero Poeta quidam non ita pridem expoſuit diſtichis pluribus, & Archiepiſcopo *Ioanni Adamo* dedicauit, hoc modo:

Iſta tuus Daniel deſcripſit auunculus olim
Symbola, quæ magnæ ſymbola mentis habent.
Subiicient hæc ipſa faces monumenta nepoti, 943
Et rapient animos ad pia ſenſa tuos.
Aſt vtinam ſub lemmatibus ſua ſenſa dediſſet,
Quantum Principibus calcar ad alta forent?
Nam priuata ſuo ſi ſymbola mortua ſenſu
Exſtimulant; quid agent ſenſu animata ſuo?

Expoſitionem, cum clara ſatis omnia, omitto; tantum adiicio, me poſtea-

quam

Edit. I pag. quam hæc ſcripſiſſem, chartulam quandam citati antea Cl. V. Philippi Wolfgangi Roſenbach manuſcriptam conſecutum, in qua cum eædem ſententiæ, tum vero poſt eas, hæc: *Fuit precationum libro hæc inſerta ſcheda Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. & incomparabilis Principis D. D. Danielis. ex qua ſine dubio quotidie vanitatem vanitatum contemptui habebat, & ad æternam beatitudinem ſibi viam ſternebat ſine intermiſſione.*

Nienburgi, Fioniæ oppido, in æde ſacra inter vexilla ſuſpenſa vnum, cui hæc *Danielis* ſymbola inſcripta. id quod ſe ibi an. MDCLXXVI conſpexiſſe, in diario ſuo notauit *Caſpar Sagittarius.* Vid. *Schmidius* in vita eiusdem p. 57.

CAPVT XXII

De eccleſiaſticarum in cibis, ſacroſancto Miſſæ officio, ſacraque communione legum obſeruatione.

TAnti ſacra matris eccleſiæ fecit præcepta, vt ab iis, etiam cum aliqua poſtulare videretur neceſſitas, ne tantillum quidem vellet diſcedere. Patuit paullo ante in horis, vt vocantur, Canonicis. de rebus aliis audiamus. Piſcibus veſci non poterat. Suadebant ei non medici tantum, ſed alii etiam plures, hæreſeos minime ſuſpecti, carnium in quadrageſima, ceterisque ieiuniis eſum. Atque vt abſque omni peccato id ſe intelligeret facere, Pontificia eum lege illa ſoluebat poteſtas. Hoc tamen priuilegio vti nunquam voluit: ſed in aulica exquiſitiſſima ceteroqui menſa iuſculis & ouis contentus erat. Accidit, vt non multo antequam lethalis eum ægritudo aggrederetur, Heidelbergam ab Illuſtriſſimo Palatino amice inuitatus ierit. Iam conſtat, incruentum illinc CHRISTI Domini ſacrificium pridem exturbatum: exoticam vero Caluini cœnam & dogma inductum. Dies aderat Dominicus. Quid Catholicus, Catholicæque pietatis tenax Princeps Daniel faceret? Prætuiderat ſcilicet miſeriam hanc, & neceſſarium ſacrificio inſtrumentum ſecum deuexerat, illudque ſuo in conclaui re-
944 ligioſe fieri voluit. Vetat eccleſiaſtica quædam lex, ſacroſanctam euchariſtiam ab iis, qui die aliquo aliquid iam ederint, accipi. Aeger erat: ederat paululum quid, & metuebat, ne ſcandalo foret aliquibus, ſi tunc ſacerrimum illud eſcarum omnium caput guſtaret. Guſtauit tamen, & quidem magno cum pietatis ſenſu, ſed non prius, quam omnem ſcandali cauſſam abeſſe aduertiſſet.

CAPVT XXIII

De Catholicæ religionis zelo.

QVæ hactenus commemorata, Catholicæ fidei zelum in eo magnum ſatis oſtendunt, præſertim quæ allata capite VII, VIII, XI, XIV, XX, & XXII. Sed ſunt alia etiam indicia. 1 Tanta in ſcholarum ædificationem, hibernam lignationem, præmiorum, quibus ad ſtudia iuuentus accendi quotannis ſolet, diſtributionum munificentia. 2 Alumnorum, qui bonis litteris ac moribus exculti dominicam poſtea vineam colerent, & quæ ipſam demoliuntur, vulpes caperent, tam multorum, tam liberalis ſuſtentatio, & quorundam ad Germanicum Romani Gymnaſii Collegium miſſio. Cum vero ſuſtentationem eandem ambirent nonnulli, ſed ita, vt iuri ſtuderent, reſpondit: *eorum, qui iuri iam ſtuduiſſent, eiuſque doctores eſſent, magnam ſibi quotidie offerri copiam: non ita bonorum Paſtorum & Theologorum.* Cum Parochos & Concionatores quoſdam Moguntinos vita leuior, & phraſes nouorum dogmatum aliquid olentes ſuſpectos non leuiter hæreſeos facerent, certos conſtituit, qui attenderent, qui obſeruarent, ne quid ſanæ doctrinæ aduerſum rudi propinaretur populo. 4 Si qui ab hæreſi vel e ſuis ouibus, vel ex alienis gregibus reſipiſcerent, admodum gaudebat, omni eos amore amplectebatur: ſi aliunde venirent, & ope, domo, protectione indigerent, hanc vero impartiebatur non inuitus, prout monſtrari poſſet exemplis pluribus. 5 Fidei apud Indos, Mexicanos, Iaponios ortu & incremento mirifice oblectabatur: iiſque de rebus periucunda erat ei interrogatio, auditio, lectio. 6 Quibusdam Conſiliariorum

ſuorum Catholicis, & vni præſertim, quem vt auctoritate, ſic & doctrina, pioque zelo antecellere ſciebat, dixit non ſemel: *Cum cauſſa & negotium aliquod, quod religionis priſcæ ſanctitatem attingeret, incidiſſet, id præ aliis omnibus diligenter expenderet: de eo prudenter ac ſancte fieri quidnam poſſet, ſtudioſe diſpiceret: expenſum, diſpectumque ad ſe referret, ſe tanto ſapientius ac fidentius, faciendum quidnam eſſet, præſcripturum.* 7 E Catholicis tepidos ac torpidos non tam diligebat, quam feruidos, & id quod ſunt, palam præ ſe ferentes, religionemque ſacram, quo poſſent modo, defendentes, adiuuantes, latiusque proferentes amabat, & in his Secretarios duos D. Hieronymum Pleſs, & antea nominatum D. Simonem Bagen, quem & in quibusdam interdum Comitiis Procancellarium ſuum eſſe, ac illis ſubſcribere voluit. 8 Vt Catholicæ religioni quandam veluti columnam ſubiiceret, iuſſit in Societatis Ieſu Moguntina æde conſecrari Epiſcopum, virum doctrina & ſpiritu plenum, D. Nicolaum Elgardum, Erfordiæque Suffraganeum commorari. 9 Multorum ſunt hac de re luculenta teſtimonia edita, inedita. ſed vnum iam tantummodo citabo, & eum quidem, qui tamen hunc maxime, quem quadantenus adumbraui zelum, requirere, ac nimiumquam de nidulantibus ac pæne regnantibus in aula & ciuitate Moguntina hæreticis queri videtur. Ante laudationem tamen, iuſtane fuerit querimonia, prius videamus. Edit. I p. 945

CAPVT XXIV

De magno in aula & ciuitate Moguntina hæreticorum numero, habita, Danielis tempore, inter doctos quosdam altercatio.

QVid igitur, inquiunt aliqui, ſi tantus in Daniele fuit fidei zelus, cur e Clero ſcandala quædam non ſuſtulit? cur tot in aula, tot in Moguntina vrbe paſſus eſt Lutheranos, Caluinianos? cur & hic & in aliis diœceſis vrbibus & pagis caupones viatoribus permiſit diebus vetitis carnes in menſis proponere? Cur e Lohrenſi & Königſtainiano Comitatibus Prædicantes, eorumque profana ſacramenta, dogmata, & libros non expulit? Reſponderem ego: ſed totam hanc 946
diſputationem ſatius fuerit, non meis, ſed eius ipſius, qui Moguntiæ hanc ipſam, apud quendam neque imprudentem neque infantem, querimoniam, diſputationemque inſtituit, & alibi typis mandauit, verbis proponere. Is vero eſt *Robertus Turnerus*, natione Anglus, religione Catholicus, dictione diſertus, eruditione clarus, officio tunc ad Leodienſes legatus, qui, cum Reuerendiſſimi & Sereniſſimi Erneſti ad illos iter, ſeu vt ipſe vocat, *Triumphum Bauaricum*, deſcribit, ita ſcribit: *Moguntiam inde venimus, vidimus, vtinam illud tertium addere potuiſſem, vicimus. Ciuitas namque eſt tam opportuna loco, palatio tam magnifica, populo tam polita, Clero tam frequens, vt doleam omnem laudem, quæ aut ex opportunitate ad locum, aut ex magnificentia ad palatium, aut ex politiori humanitate ad populum, aut ex frequentia ad Clerum poſſet affluere, vno obteri crimine miſeræ ſeruitutis; quare ſi viciſſemus tam feliciter, quam vidimus libenter, felicior eſſet Moguntia victa, quam Bauaria vindex; cum fructus victoriæ eſſet non ager fœdatus vaſtitate, ſed ciuitas reddita libertati. Libera dicitur, ſed eo ſerua magis, quo ſerua dicitur minus. Sedet ad clauum Princeps Catholicus, tractat clauum ſubditus hæreticus. Vides hic ſeruam libertatem, vide ibi liberam ſeruitutem. In ore, in templo, in foribus eſt Bonifacius, ſed Bonifacius pulchre pictus; in menſa, in cubiculo, in conſilio eſt Lutherus, & Lutherus periculoſe ſedulus. Sed ne videar facere conuicium, vide rem clarius; in tota aula tam frequens eſt hæreticus, ſiue inſpicias menſam, ſiue irrepas in cubiculum, vt plures inuenias, qui Miſſam proſcindant, quam audiant; parum eſſet, ſi hæc peſtis menſæ ac cubiculi cancellis includeretur, manat ad portam, ad culinam, ad nobilem tenellum, illum, qui ſolebat a maioribus noſtris includi in aulam, tanquam ſcholam religionis. Sed rerum iam orbis plane eſt inuerſus, non puritate religionis imbuitur hic puer nobilis, potius aſcitus in aulam, cauetur pacto, ne im- 947
buatur. Inde fit, vt puellus hæreſeos ſentinam qui extremis labellis vix attigerit, plenis buccis effundat, qui ſacerdotis notionem nondum nouerit, ſacerdotis* fol. 108, 109, 110.

Edit. I pag. *tis maiestatem audeat violare. Huius iuuentutis tenellæ si videres mores molliuscule fluentes, risum indecore Sardonium, gesticulationes fœde mimicas, voces impie tragicas, plane efficeretur, vt putares, ad hanc normam fregisse suos deliciis Sardanapalum, & incisis virtutum neruis, molliculis feminarum moribus obleuisse.* Hæc *Turnerus* vel accusans, vel querens. Quid vero ad hæc alter? *Hæc omnia*, inquiebat, *tantum abest, vt ponenda sint in vitio Principis, vt vix videatur posse iniri ratio commoda huius incommodi excludendi. Cingitur enim vndique ab iis Principibus, qui Lutheri labe aspersi sunt; vt nisi hæretico applaudat, faueat, subrideat, aditumque aperiat in suam familiam, in cubiculum, in consilii societatem, periculum videatur impendere, quod tantilli Archiepiscopi humeri vix videantur posse aut vllo modo sustinere, si incumbat; aut alio modo impedire, ne incumbat. Pestis, quæ non potest excludi, ne serpat, debet serpere, ne grassetur, ac totam ciuitatem peruagetur, eo certiori periculo, quo incertiori medicina. Flamma, quæ non potest extingui, debet sopiri, & prudentiæ quasi quodam cinere obduci, ne erumpens late comprehendat totam viciniam eo maiori strage, quo minori ope.* Ita Moguntinus Patronus. Sed fecitne accusatori satis? Nondum omnino. Pergit enim: *His atque huiusmodi sermonibus, cum ego Archiepiscopi negligentiam incusarem liberius, conabatur quidem auertere omnem culpam ab Archiepiscopo; præterea ego requirebam antiquam virtutem; ille obiecit noua tempora: ego volebam hæreseos euulsas fibras; ille opposuit hæreseos nimium insitas radices: ego desiderabam Archiepiscopum Bonifacium; ille prætulit Principem politicum.* Perrexit
948 tamen adhuc altercando *Turnerus*, & illustrem Borromei Mediolanensis pro ecclesia Dei zelum, labores, conatus, & pericula obiectauit: tandemque tamen sibi persuasum fatetur, excusatum videri ob allatas rationes Danielem, in eiusque insignes laudes ingreditur. *Etsi*, ait, *huius orationem totam refellerit, penitusque infregerit vnus Borromeus, neque dicendo potuerit efficere, vt magis probarem politicum, qui flammam sua prudentia occulat, quam Bonifacium, qui virtute sua extinguat: tamen id consecutus est, vt credam, illa vitia omnia hominis non esse, temporis esse. O tempora! Sed relinquamus tempora, dicamus hominem.* Omnino dic, *Turnere*, hominem, sed dic vere, dic ex animi sententia, quasi testis, & quasi testis non dissimulans, si quem inesse putabas næuum, sed edisserendo veritatem quærens, inuentamque omnibus enuntians & quidem testis oculatus. Incipe; audio.

CAPVT XXV

Turneri de Daniele Archiepiscopo testimonium.

HOmo est Archiepiscopus iis moribus, quibus deberes fingere Principem. Princeps est ea facilitate, qua cuperes formare hominem; vt possit dici & homo Platonis, qualem solum antiquitas putabat Socratem; & princeps Aristotelis, qualem semper omnis respublica optabat rectorem. Cani loquuntur senem, firmæ vires iuuenem. Huius speciei nonne vides laudem? & cano colore maiestatem Archiepiscopi, & firma vi onus Principis sustinet egregie. Religionis suffulciendæ, confirmandæ quo studio tenetur, abunde satis indicat templum a fundamento non ita pridem excitatum, & eleganti opere, vario lapide, imagine rara peregregie expolitum. Ambrosii videor maiestatem exprimere, atque adeo Ambrosii iam tonantis in Theodosium. Magis crederes, si his addas eius humanitatem, amorem; quippe sic excepit Bauaros, sic amauit Catholicos, vt
949 *quod tanta suauitate exceperit, hospitalis, quod tanto studio amarit, pii non solum meritus sit nomen, sed etiam vicerit notionem.*

CAPVT XXVI

Quomodo electum Leodiensem Episcopum Reuerendissimum & Serenissimum Ernestum acceperit Daniel.

ANno MDLXXXI ad Leodienses, a quibus Episcopus deposcebatur, profectus est Sereniſſimus Bauariæ Dux Ernestus. In itinere magno cum co-

mitatu, venit, vti aliquoties iam ſignificatum, Moguntiam, & omni humanitatis ac honoris argumento a Daniele acceptus fuit. Cetera qui præſens aderat, narrat citatus cap. XXIV & XXV *Turnerus* hunc in modum: *Apud hunc duo dies nobis fluxerunt poſiti ſuauiſſime refocillandis corporibus, neceſſario curandis nauibus. Die, quæ finita erat nauigationi, prandetur; poſt menſam Archiepiſcopus non ſolum officioſe comitatur Ducem noſtrum ad oram Rheni, ſed etiam nauim, quam ſuam illi conceſſerat, ingreditur, vt honeſtet: egreditur, ne impediat; poſt expreſſam in aere hinc ab Archiepiſcopo, inde a Duce crucem (hunc enim morem precandi diſcedentibus fauſta, ſollennem apud Catholicos aduerti in Germania) certatur vtrinque buccina: vincitur vtrinque, arte a nobis, officio ab illis; quippe non contenti buccinæ ſtridula ſymphonia, aut fiſtulæ ſuaui ſibilo, ſoluentes nos proſequuntur ſclopi ſtrepitu, tormenti fragore, vt amoris officiique ſigna nec potuerit Moguntia edere clariora, nec deberemus nos requirere certiora. Aſcenſum eſt, diſceſſum eſt.*

Edit. I pag. fol. 111

CAPVT XXVII

950

De Danielis morte ac epitaphio.

ANno MDLXXXII, die XXII Martii, quo, vt ſupra cap. I dictum eſt, die lucem hanc primo aſpexerat, patrum ſuorum viam ingreſſus eſt Aſchaffenburgi, ſomno quaſi placidiſſimo conſopitus, & in Metropolitani templi ſacello, de quo ſupra eodem cap. I, funeratus, iuxta ſepulchrum Reuer. & Nobil. *D. Bernardi Breidenbachii*, qui ſuperpoſiti ſaxi imagine nondum putrefactus ſignificatur, aut aromatum, quæ Hieroſolymis attulerat, vi, prout putant nonnulli, aut alia neſcio qua ratione.

Fatis conceſſit die, quem auctor dixit, mane intra horam quartam & quintam. Funus vero demum ſexto poſt die Aſchaffenburgo abductum. Vehebatur naui; quæ cum Höchſtam appulſa eſſet, a Canonicis ad D. Bartholomæi Francofurtenſibus & Antonitis Höchſtanis, qui in litore Mœni aduentum pompæ præſtolabantur, ritu funebri deductum fuit in templum oppidanum. Poſtridie vero eodem, quo receptum erat, ordine elatum ex æde ſacra, & naui redditum ad peragendum iter. Hora poſt meridiem prima ventum Moguntiam: vbi primo depoſitum fuit in æde D. Gangolfo ſacra: die ſequenti vero ſollemni apparatu in arca plumbea, iuxta dictum Breidenbachii tumulum, in ſacello B. Mariæ V. humo illatum, ſub nullo tamen, quod mireris, lapide ſepulcrali.

In proxima vero extra id ſacellum columna poſitum ei a ſucceſſore magnificum monumentum hoc: *Daniel D. G. Archiepiſcopus Moguntinus, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, ex nobili familia Brendel ab Homberg*; anno MDLV, ætatis ſuæ XXXIII, electus, eccleſiam annis XXVII optime pacificeque rexit, haud paucis emolumentis auxit, atque ampliauit, iuſtitiam coluit, religionem promouit, charus omnibus extitit. Duos Imperatores Maximilianum II & Rudolphum II coronauit, inculpate vixit, ſacramentis Catholice perceptis pie placideque quieuit, deſiderium ſui luctumque cunctis reliquit. Obiit Aſchaffenburgi anno MDLXXXII, XXII Martii. C. A. R. I. P. Succeſſor prædeceſſori bene merito poſuit.*

* Homburg

Monumentum hoc ei poſitum, ac in ichnographia lit. s) notatum, puluere ita hodie oppletum eſt, vt inſcriptio hæc, quam auctor attulit, vix ac ne vix quidem legi poſſit.

Ceterum non poſſum, quin adiiciam verba, quæ *Godefridus Adolfus Voluſius*, templi ſummi olim Parochus, in necrologio illius, diei, quo funeratus fuit Daniel, adſcripſit: *MDCLXVIII dum ſepeliretur* D. Adolfus Hund *de* Saulheim, *Præpoſitus, reperta eſt tumba Reuerendiſſimi* Danielis, *& exiuit odor miræ fragrantiæ. Idem contigiſſe poſt eius exſpirationem, retulit mihi Perilluſtris Domina* Baroniſſa *de* Walderdorf, *mater Illuſtriſſimi Principis ac Præſulis Viennenſis, aſſerens, ſe ex ore parentis ſui, Domini* Dietheri *de* Greiffenclaw, *hæc audiuiſſe*; Vnſer Biſchoff *Daniel* iſt geſtorben, vnd ſo bald er verſchieden, iſt ein kôſtlicher vngewôhnlicher geruch durchs gantze zimmer gangen. *Viinam curatius in tam ſancti Viri vitam inquireretur.* Hæc ille.

CAPVT

Edit. I pag.

CAPVT XXVIII

De eiusdem funere : ſtellaque in eo conſpicua.

TOta eum luxit Moguntina diœceſis; & funere inſigni proſequutus eſt Metropolitanorum Patrum ſenatus, Nobilitas, Academia, ciuitas tota; quin & ei proprie, tanquam auctori & meritiſſimo ſuo parenti, parentauit palam Collegium Societatis IESV Moguntinum, & epicedio, lugubrique typis edito
951 carmine perpetuam eius æternare memoriam conatum eſt, e quo, quæ huc ſpectant, peti poſſunt quamplurima. Sed illud non tacebo, quod cum primo abſens olim, & Moguntiæ modo legerem, poeticum magis, quam ita re ipſa geſtum rebar; ſub horam ſcilicet pomeridianam ſecundam vel tertiam, ſupra metropolitanum templum ſtellam fuiſſe conſpicuam; cum tamen, an rei aliquid poeſi huic ſubeſſet, eos, qui tum affuiſſent, rogarem, affirmarunt; ita vt contra veterem verſum vates, quiſquis ille fuit,

Obliget hiſtorica iam ſua verba fide.

Eſt autem carmen illud eiuſmodi:

Quando ferebatur Danielis corpus humandum,
Carmine geſta fuit res memoranda meo.
Pæne die medio radianti lumine ſolis,
Tempore, quo cæli ſidera parua latent,
Stella ſupra templi turrita cacumina fulgens,
Siue planeta fuit, ſeu noua ſtella, ſtetit.
Stella quid illa precor Phœbo conſpecta micanti?
Illatumne notat ſidus in aſtra nouum?

Luxit vtique amiſſum tam pium, probumque Principem tota ciuitas, immo diœceſis, vt auctor vere dicit, vniuerſa. Sane quum dominica *Latantium* ex mandato *Georgii* de *Schönenburg*, Epiſcopi Vormatienſis, Moguntiæ ad ædem ſummam Decani, & in eccleſiaſticis Vicarii, in parochialibus pro ſuggeſtu mortuus denuntiaretur, nemo fere fuit, quin vbertim lacrimas profunderet. *Quod cum ego*, ita Parochus tum temporis chori ferrei in dicto necrologio, *præſtarem, in ſumma parochia ſub concione matutina, omnes pæne eruperunt in lacrimas, quas & ego vix tenere poteram.*

VVOLFGANGVS.

CAPVT I

Eius genus, & ante Archiepiſcopatum tempus.

IN Vangionibus, & Nemetibus antiquum & celebre eſt *Camerariorum*, qui & *Dalbergeri* vocantur *, ſtemma. Ex eo extitit *Wolfgangus*, qui Spirenſis & Moguntinus Canonicus magnas in eccleſia vtraque ſuſtinuit functiones. Nam vtrobique Præpoſitus fuit, & erat iam an. Domini MDLXVII Moguntinus Scho-
952 laſticus *. Fuit enim inſigni facundia vir, ita vt Germanice loquentem audire, præſertim longius quid perorantem, iucundum eſſet.

* *Camerariorum* cognomen vnde ſit, & qua occaſione cum *Dalbergiorum* coaluerit, *Ludevvigius* ad Monachi Kirſchgartenſis cap. XXVII p. 78 his explicat verbis; *Iſta familia* Camerariorum *poſtea vnita fuit per matrimonium cum familia* de Dalberg, *inter vltimos ex vtraque familia ſuperſtites. Vocabantur autem die* Cämmerer *von* Worms, genant *von* Dalberg. *Supremus olim tempore adhuc Francorum Regum in vrbe Vangionum Iudex* Camerarius *fuit, permanſitque poſtea ſuccedentibus Epiſcopis, quorum nomine tria ſingulis annis iudicia, qua tum illis temporibus* placita *vocabantur, in curia Epiſcopali exercebant, ſcilicet in Ianuario, Aprili, & Iunio. Iudicio huic*, Camerario *prætore, XVI apparitores, quos* Heimburgios *appellabant, præſto erant. Quilibet Iudicum baculum manutenens a* Camerario, *cui iuramento obſtrictus erat, rogabatur*; Ecquid ſciret, quod contra ius aut æquum in ciuitatis perniciem vſpiam in vrbe perpetratum eſſet, vt id iudica-